Kroniki Kaźnimira drukowany
w Roku 1826 we trzech Częściach
z tłomaczeniem w języku Polskiem
wyiątek textu Łacinskiego
połączony z Rękopismem
Wyiątków z Kroniki Wincentego.
Kadłubka ostatniey Edycyi drukowaney
w tymże Roku 1826 z Rękopisma
starożytnego.

KAGNIMIRI
CHRONICON POLONORUM;
IN QUO QUATUOR REGUM
MUNITORUM RITU CHRISTIANO
EORUMQUE GESTA DESCRIPTA
SUNT.

VARSAVIAE 1826.

Typis Congregationis Scholarum Piarum.

PRAEFATIO EDITORIS.

Temerarium esset, gravissimum Historiae Polonorum scriptorem, Długossium nostrum, compilatorem dicere, nisi id ipse fateretur „singula, inquit ille, „(a) rebus Polonicis undecunque cohærentia et commixta collecta undique „et connexa, quae annalibus Polonorum videbantur quomodocunque conducere, operæ pretium visum est per „scribere et praesenti nostro innectere „operi. Quae verò in nostram incidere „aetatem, marte, ut ajunt, nostro ... descripsi„ Et quidem non sine proposito id Eum fecisse opinor, videtur enim hoc consilio usus esse ut traderet posteritati quaedam scripta aut fragmenta autographa atque sibi ipsi etiam allevaret aliquantum oneris. Quod et assecutus est

(a) In Epistola dedicatoria.

non sine mercede meritae laudis et grati posterorum animi, nam in parte proprii ut ipse inquit, Martis, non exiguum summi ingenii et zeli edidit argumentum. Denique non defuerunt etiam Dlugossio aliorum scriptorum exempla (b).

Igitur tres libros priores congessit ex fragmentis variorum Chronicorum, (c) ex annalibus et Legendis Monasticis, sparsis interea passim nonnullis adnotationibus propriis. Constat id ex varietate styli, diversitate genii scriptorum, quorum contradictio repetitio et duplicatae narrationes nonnullorum factorum, ana-

---

(b) Similiter egit Eggehardus Vragensis, Annalista Saxo dictus, qui plurima aliena et nominatim Chronicon Dithmari operi suo inseruit.

(c) Si quis vero ob id me carpendum putet quod non solum Polonorum res gestas perscripserim, sed etiam Bohemorum; Hungarorum, Ruthenorum, Prutenorum, Saxonum, Lithuanorum, Romanorum insuper Pontificum atque Jmperatorum et Regum, a multis ignoratas attigerim, sciat me consulto et veritatis facibus impulsum id egisse. „ Epistola dedicatoria. „

chronismi reticentia et alii defectus tanto non conveniunt scriptori, quem inde tantum culpare ausim, quod illos in adnotationibus suis non argueret scrupulosius, et non contulisset vicissim.

Libro siquidem primo post introductionem (*quà ratione posteritas Noe terram impleverit*) incipit: Historia Lechitarum cum descriptione regionis per Lechum occupatae: deinde (interpolata descriptione Poloniae (d) nullatenus aevo Lechi et ejus posteritatis congruente) prosequitur folio 46. gesta Ducum Poloniae à Craco I. usque ad Miecislaum I.

Libri autem secundi et tertii potiorem partem occupat, Chronica quaedam

(d) De Regione Poloniae Folio 7. versu 23 Edit: Dobromili:
Unde dicuntur Poloni Fol. 31.
De idololatria Polonorum. Fol. 36. ver. 17.
De natura et moribus Polonorum Fol. 37.
Flumina Poloniae primaria. Fol. 8.
Lacus Poloniae praestantiores. Fol. 23.
Descriptio montium Poloniae. Fol. 31.
Civitates et oppida apud Polonos. Fol. 58.

quatuor Regum Poloniae (scilicet Boleslai I. Miecislai II. Casimiri I. et Boleslai II.) simplici narratione non ineleganter conscripta, fragmentis Chronicorum supra nominatorum ordine Chronologico permixta. Eminet illa et nitet inter annales et Legendas (e) certantes amplificationibus et ineptiis, deformata potius

(e) De conversione ad Christianismum Miecislai I. et gentis Polonorum: sub anno 965. 966 et 967.

Annales Polonici incipientes sub anno 970.

Vita S. Adalberti Episcopi Pragensis: sub anno 981, 989. 993. 994. 995. 997. et 1000.

De coronatione Boleslai I. altera versio: sub anno 1000 Fol. 123. versu penultimo *Jmperator autem Otto* etc. usque ad verba *in omnes comitas et largitas aestimabatur*. Fol. 126.

De religiosis Viris tructidatis Casimiriae: sub anno 1005.

De fundatione Caenobiorum in monte S. Crucis et in Sieciechów: anno 1006.

De reliquiis S. Adalberti: sub anno 1038. Fol. 183. versu 17. *sed illico Dei omnipotentis dignatio etc.* Jtem sub anno 1039.

De Maslao usurpatore terae Plocensis: altera versio sub anno 1040 usque ad verba *quam ascenderant relabebantur*. Fol. 100.

quam aucta. Sane in Compilatione locu-plete non sunt haec superflua, nec injucunda Polono lectori, sed desideratur alius earundem ordo; dimembrata ut sunt, confusa et disseminata, nauseam Lectori praebent, et nonnunquam decipiunt.

Ignoro quo successu? statuimus tamen redigere in alium ordinem farraginem illam in traductione nuper edita lingua vulgari, ex qua quinquaginta exemplaria Chronicorum ipsorum separatim imprimi curavimus: quatenus gesta gloriosa summorum Regum Poloniae, praesertim utriusque Boleslai, ab

---

De Monachatu Casimiri I. Regis Poloniae sub anno 1040 *Nuntii autem Polonorum* Fol. 191. versu 24: prosequitur sub anno 1041. usque ad verba *ad genitricem suam Rischam Reginam in Seewald commorantem pervenit.* Fol. 197. ver. 24.

De bello Casimiri I. cum Maslao usurpatore Plocensi: altera versio sub an. 1043.

De tributo sedi Apostolicae a Polonis concesso: sub anno 1045.

Denique vita S. Stanislai Episcopi Cracoviensis: sub anno 1076, et sequentibus claudit Librum tertium.

heterogeneis et scoriis segregata in lucem prodeant.

Quamvis non defuerint eximii authores hanc partem etiam Historiae nostrae in operibus suis erudite et eloquentissime tractantes; tamen quoniam repeririuntur lectores ex fontibus (ut ita dicam) amantes haurire, illorum gratia (et præsertim eorum, quibus aditus compilationis Dlugossianae fastidiosus posset videri) haec aliquot exemplaria emittuntur.

Nomen authoris appositum operi valeat tantisper (pace amici Lectoris!) synonymum Annonymi: exponemus tamen ex debito tales quales authoritates quibus in hoc ausum commoti sumus; scientes exploratores Historiarum non aspernari obscura etiam indicia, quae aliquando successu temporis et ulteriori indagatione ad certiora deducere possunt.

In codice enim manuscripto nuper detecto Morawscii dicto reperitur quae-

dam Bibliographia scriptorum Polonorum ubi legitur:

§. IV. Kagnimir Comes in Gura de stemmate Skuba Custos Gnesnensis contemporaneus Boleslai audacis, scripsit Historiam Regum Poloniae ab anno 992. ad annum 1070 sub titulo *Chronicon Polonorum in quo quatuor Regum ritu Christiano munitorum eorumque gesta descripta sunt.„*

§. VI. Maczko de Opatowicze Episcopus Cracoviensis, Cholewa a stemmate dictus, scripsit Historiam Polonorum ab anno 1000. ad annum 1064. sub titulo *M. Ch. de Opatowicze Chronicorum Poloniae Regni Lib. I. quatuor Regum praecipue continens acta.* Libr. II. in quo a recessu Poloniae Regum gesta continentur.

Jn alio quoque Codice manuscripto (Joachimi Lelewel) reperitur voluminosum excerptum ex Historia Długossii inscriptum „ Gesta Polonorum ab anno „992 ad annum 1070. scilicet ab initio

„regiminis Boleslai I. Chrobri dicti usque „ad decimum tertium annum Boleslai au„dacis, quarti Regis Polonorum coronati „et uncti conscripta ex Historia Kagni„miri sub titulo *Chronicon Polonicum in quo quatuor Regum ritu Christiano unctorum eorumque gesta conscripta sunt.*

Qui titulus operi sequenti, (ut ipse autor in qualibet pagina exerptum ex Długossio testatur,) non conveniens casu quodam aut ignorantia transcriptoris irrepsit.

See Przeździecki's edition of Kadłubek's chronicle. Cracow 1862. pp. 40-70. passim.
(Slav. 5220.5)

Excerpta de Chronica Vincentii Kadlubek edita Anno 1826 juxta codicem vetustissimum dictum Kuropatnicii.

Quoniam Vincentius Kadlubek videtur nosse Chronicon Polonorum Kagnimiri de rebus gestis quatuor Regum munitorum ritu Christiano, ideo eandem partem Chronicae Vincentianae adjungimus passim exemplario Chronicae Kagnimiri

Quia autem editio ultima Chronicae Vincentianae rarior est quam priores ac fere incognita, ideo excerpta (de quibus agitur) referuntur etiam ad illas, a quibus in naratione gestorum in paucis ac fere nullatenus differt.

Itaque

Itaque Liber II exclusive in editionibus priori-
bus continet.

Gesta Regis Boleslai I in Epistola XI. et XIII.

Mesconis II ac Casimiri in Epistola XV.

Boleslai II in Epist: XVII et XIX.

M. Jam velut quodam haesitationis soluto compede celeriuscule solito cursitare libet, quo et gressus rapit liberior et via delectat expeditior.

(x) Semovito itaque filius ejus Letzko: Letzkoni vero Zemimisl succedit: quorum utrumque animi generositas, robur corporis, felices ad omnia successus, adeo reddidere insignes, ut omnium pene Regum virtutes suis antecessserunt virtutibus.

De Zemimisl

(x) Epistolae mathaei Episcopi Cracoviensi perscriptae ex Libro II. Chronicorum Vincentii Kadlubek

Epistola IX. mathaei E: Cr:

De Ziemimisl autem gignitur famosus ille Mesco! cæcus septennio educatur: qui anni septimi exitu Divinitus illustratur visuque recepto eadem vixit industria!

Sed tantisper lumine cassus rationis cæcitate usus est? quod septem pellicum scortis |: quas conjuges nuncupabat :| nocturnas variare vices consueverat. His tandem repudiatis de Bohemia quandam, Dubrawcam nomine, matrimonio copulat: cujus felici consortio glacies infidelitatis dissolvitur et (x

labrusca gentilium in veræ vitis palmites transmigrant. |: huic enim catholicæ fidei amantissimæ non prius nubere collibuit,

quam

(x, et nostrorum

quam universum Poloniæ regnum Christianæ professionis susciperet caracterem:/ didicerat enim quod dispar cultus unum erat impe= dimentum matrimonii.

Primus itaque Rex polonorum MESCO gratiam baptismi suscepit.

Porro de tam

M.(x Porro de tam generoso stipite surculus vegetatior, palma fœcundior, erupit BOLES-SLAUS Mesconides! qui tenellas adhuc fidei primitias, in cunis adhuc vagitantem Ecclesiam tam tenero amplexu, tam adulta fovit teneritudine, ut geminam Metropolim instituerit, ut debitas suffraganeorum dioeceses utrique deputaverit, ipsarum quoque dioesesum distinctiones certis limitibus insculpsit /: nihil enim est quod lumine clariore praefulgeat, quam recta fides in principe! nihil est quod ita nequeat occasui subjacere quam vera religio :/

Unde

(x Epistola X.I Mathaei E. Cr.

Unde ad cumulum religionis Patrem sancti=
tatis et patronum B. Adalbertum /: infinitis Bo=
emorum injuriis actum :/ devotissime suscipit, re=
verentiam exhibet, omni studio veneratur.

Quem Sanctus ad plurima paucis instruxit
: Digna est, inquit, vox maiestate regnantis pro=
: fiteri se <u>Principem legibus alligatum</u>! adeo
: de authoritate iuris pendet Principum authori=
: tas! Jus vero Divinum praejudicat humano:
: lex namque Domini irreprehensibilis, lex
: immaculata convertens animas! Omnium igitur
: Fili quid agis e Divinae justitiae speculo
: formam mutuare: nam revera omni maius
: est imperio Legibus ecclesiae omnem submittere
: principatum.

Tam fidelem

Tam fidelem eruditionis formulam non in=fidelis auditor Ille cordis sacrario impingit, tam se quam suos Religionis scabello substernens om=nium de se a viris Religiosis exigens censuram /: et ne ullius possit incircumspectionis argui, ne nullum in eo locum illa inveniret levitas:/ altis prudentum gaudebat occupari consiliis. Duodecim namque delegerat summi consilii viros quorum sacra iugiter sugebat ubera, de quorum pectoribus /: velut quibusdam Divinis fontibus:/ omnimoda virtutum eliciebat rudimenta.

Hic delinquentium

DE GESTIS
BOLESLAI I.
REGIS POLONIAE PRIMI
Chrobri dicti.

Anno Domini 999. Miecislaus Polonorum Dux cum Annos plures in Principatu egisset, et fidem Christianam cum Dambrowka consorte sua, filia Ducis Bohemiae, primus in Polonia plantasset, multarumque Ecclesiarum Cathedralium et Parochialium fundator, caeterorumque piorum actuum devotus patrator extiterat, religiose et Catholice perceptis ritu Christiano Sacramentis, mortuus, et in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi sepultus. Cujus funeri, tam à filio suo illustri Boleslao, quam à Praelatis et Baronibus ejus decessum magnopere deplangentibus, singula justo debitoque honore persoluta sunt.

Post expletas autem funebrias, Boleslaus filius unicus triginta habens annos

duosque, cujus optima indoles in militaribus rebus iam dudum in multis et heroicis actibus resplenduerat, et qui in ea aetate viguisse tam insigni modestia notatus est, ut iam appareret plura illum experimentis reseruasse, quam tempore transacto praestitisse, favore Praelatorum et Baronorum Poloniae, et miranda omnium vociferatione, acclamatione et consensu in locum Patris sufficitur, et principatus Regni Poloniae, sibi gubernandus committitur.

Erat enim corporis elegantia venustissimus, mentis industria prudentissimus, animi magnitudine fortissimus, ad disponendum negotia tam privata, quam publica discretissimus: eo nimirum pollens profectu, ut suam, populique sui gloriam, continuis diffunderet augeretque, decoribus: in Ecclesias, et ministros Dei munificus, in milites beneficus, et in caeteros ordines liberalis. Quibus rebus tanta singulos devinxerat charitate, ut vitae illius, juxta ac suae, timerent.

Curiam denique suam, non solum militum et Baronum praecipuorum, sed et libertorum; quos a servitute dissol-

Hic delinquentium culpas et districte no=
verat parcere, et pie revocare: non nec sine ultione
fuit pius, nec sine pietate districtus! adeo ex man=
suetudine /: quasi electri purioris cujusdam tempera=
menti:/ rutilabat in illo serenitas, ut nec rigor esset
rigidus nec mansuetudo dissoluta. Tanta illi alienae
calamitatis fuit compassio, ut prius alienis quam pro=
priis occurreret incommodis.: quare in causis oppresso=
rum non judicem se gessit sed patronum: si quid ta=
men severius iusta in aliquem exegisset sententia,
modicillae precis interventu expiabat: nonnunquam
et suae delenitus conjugis amplexibus mansuescebat.

Quid plura? nihil Illi defuit quod
virtuti terbonum, quod honestati fuisset con=
sentaneum.

Ideoque imperator Otto

verat, numero habebat stipatam et ornatam; tantaque refertam frequentia, ut à specie justi exercitus parum differret, cujus fretus robore facile hostiles insultus reprimebat.

Aeri vir ingenio, consilio et virtute praeclarus, jussionum suarum severitatem liberalitate et blandiciis, quasi quodam validissimo temperamento condecorans, non ad fortunae nutum, sed ad virtutis normam singula Reipublicae administrans negotia: cui natura magnificam, praestantemque personam caeteros mortales excedentem donaverat. Benignissime fovens virtutes, vitia vero severissime vindicans. Erat autem Boleslao Duci Poloniae praefato ingenium facile ad omnia quaecunque agere vellet accomodatum et versatile, loco, personae, et tempori congruens, qui didicerat omnis convenientiae rationem singularem, ut ad omne, quod sive pace, sive bello agendum emergeret, artibus optime affectus, instructusque censeretur: robore, sanitate, integritate sensuum, facundia, opibus, liberalitate, claritate gloriae vigens, et caeteris idgenus ornamentis gloriae avidus, et notam ignominiae metuens.

A. D. 1001 Miraculis singularibus et stupendis (quae clementia Salvatoris per merita S. Adalberti Gnesnensis Archiepiscopi operata est) et plures oras longe lateque diffundentibus, Otto Tertius Imperator Romanorum aeger, et suo instinctu et aliorum familiarium suorum avisamento permotus, Sanctum Dei Adalbertum pro sua liberatione caepit solicite invocare, vovensque votum Domino, promisit ejus sepulchrum personaliter adire, si illum contigeret priori restitui sanitati. Mirum in modum facto voto, ab ea, qua detinebatur infirmitate, sensit se perfecte ad invocationem S. Adalberti liberatum. Voto itaque suo satisfacturus ad corpus Sacrum digna Sancto munera oblaturus, in Poloniam versus, stipatus multitudine Principum et militum procedebat, simul, et ut votum suum persolveret, et Ducis Boleslai personam, quam universorum fama magnis celebrabat laudibus, videret.

Cujus adventum Boleslaus Polonorum Dux plurimorum denuntiatione praesentiens, singularum rerum, quibus tam Magnificus hospes et ejus exercitus excipi, procurarique posset, insti-

Ideoque Imperator Otto rufus desideris experiendi ea quae fama de Boleslao diffiderat Poloniam ingreditur /: quasi B. martiri Adalberto votivam exhibiturus reverentiam :/ qui omnibus diligenter circumspectis „ Frustra, inquit, frustra=
= torios de hoc Viro suspicabar divulgari rumus=
= culos, frustra famam loquacitatis criminabar
= quam nunc potius mutam dixerim et elinguem
= invidam ac levem, quae plura quae majora se=
= pelit silentio quam tuba veritatis praeconetur!
= Unde Hunc amicissimum nostri Imperii
= non in partem vocari solicitudinis sed plenitu=
= dine addecet potestatis gloriari, utpote in
= quo ipsa celsitudo potestatem gloriatur non
= tam excelsis honorum gradibus, quam Illius
= excellentia sublimis „

Imperiale igitur

Imperiale itaque sibi diadema detrahens capiti Boleslai /: non sine reverentia:/ imponit, Illius e converso gulimate suum caput cohonestans. Et licet argenteas officinas, auream supellectilem, officiosissimos etiam Officialium ornatus, licet omnia duceret admiranda, Ipsius tamen virtutes non satis potuit admirari: quas /: velut in quoddam sphere glomicellum:/ in Hunc solum et vidit et invidit congestas.

M. Vereor autem

tuit apparatum, et venienti Imperatori ad fines Poloniae, eum cum omni excepit reverentia et honore. In finibus autem suis exceptum omnibus necessariis, tam ipsum, quam omnes suos milites abunde et liberaliter procurat, et per loca directiora usque ad Posnaniam deducit. Et quoniam Otto Imperator in conditione voti sui habebat septem miliaribus ad corpus Sancti Adalberti pedestre iter conficere, ex Posnania (tanto enim spatio iter intermedium versus Gnesnam protenditur) ire decrevit. Qua re ad noticiam Boleslai perlata, quo omnem possibilem sibi honorem Imperatori exhiberet, omne iter a Posnania usque Gnesnam variorum pannorum coloribus, per quod Imperator Otto transiturus erat, consterni disposuit, ut in gradiendo Imperator cum militibus nullibi terram contingeret. Verum etsi Imperator hujusmodi officio aliquantulum se non indigere, et magis sibi oneri, quam honori esse significasset, Boleslai tamen precibus devictus, et ne devotionem suam affectionemque repudiatam iri quaeri posset, voto illius acquievit, et Boleslao eum pedestri simul itinere cum suis militibus associante Gnesnam pervenit.

Ubi ab Archiepiscopo Gaudentio, caeterisque Episcopis, Praelatis, et Baronibus, matronisque Nobilibus et virginibus, filiabusque earum (quas Dux Polonorum festinanter pro excipiendo Imperatore convenire mandaverat) cum magna suscipitur reverentia, devotione et honore: quos etiam Imperator ipse pro sua affabilitate benigne suscipiebat.

Jamque tunc varios apparatus et cultus diversorum ordinum, matronarumque et feminarum Nobilium, variam ex auro gemmisque et lapidibus, unionibus preciosis, supellectilem superbam, quibus in occursum ejus ornati, onustique descenderant, cepit animo et cogitatione non sine quadam admiratione metiri; singulasque et vere Regias in Boleslao Duce dudum apud se fama vulgata recognoscere virtutes: quanta videlicet celeritate conficeret illa negotia, qua polleret industria, quem laborem accomodaret negotiis, quam fortitudinem periculis, et quale consilium in providendo universis, rara insuper et singularis dexteritas et humanitas, quam de se tunc vulgatius, quam alias monstraverat, faciebant illum tam Caesari, quam suis omnibus chariorem.

Tantos insuper apparatus, tantam auri, gemmarum, purpurae, et unionum supellectilem, tot militum ordines et caternas ostendens, quantas, et quantam nunquam fuerat arbitratus. Videns insuper Boleslai egregia et magnifica facinora, non jam auribus, sed vultu, fronte, et oculis perspecta, maiori admiratione ex conspectu et praesentia (magnis nominibus inimica) quam ex fama: quoniam Princeps solertissimus atque industrius ad faciendum quodcunque niteretur, manu promptus et lingua esset excoellens.

Jmperator itaque Romanorum Otto Tertius in Civitatem Gnesnensem perveniens Ecclesiam maiorem ingressus ad corpus S. Adalberti se prosterncns, cum magna devotione gratias Deo egit, et S. Adalberto de sua ad bonam valetudinem restitutione. Ad sepulchrum quoque suum digna Imperatore munera in auro et argento obtulit, per diesque aliquot Gnesnae devotionem suam, quam ad Sanctum Dei habuit explendo permansit.

Curam autemBoleslaus Dux ad hoc unum verterat intenderatque, ut tam

Imperatorem Ottonem, quam omnes qui cum illo venerant Optimates, Barones et milites, non solum uberrima victualium omnium procuraret administratione, sed insuper excellentium donorum, caeterorumque humanitatis officiorum honoraret largitione: proferebantur itaque singulis diebus Imperatori et Baronibus suis nova munera diversis gradibus et ministrorum Ordinibus variata, et hi quidem ferebant vasa aurea, alii gemmas, alii monilia, caeteri aut equos insignes, aut peregrinas nobilesque pelles, aut argento auroque ostro et purpura superbas vestes.

Caesar Otto Tertius, ut erat Vir nobilis et illustris ingenii, turpe sibi, et suis ratus, si pro tot iteratis beneficiis, quae in se, et suos, Boleslaus Polonorum Rex effuderat, novo benevolentiae genere non responderet, cum suis aliquanto tempore deliberans, cum Boleslao Rege affinitatem jungit, et filio Polonorum Regis, cui nomen erat avitum Miecislaus, et qui erat patri unicus, Neptem suam Rixam (filiam primogenitam Esonis, alias Gotfridi Comitis, Palatini Rheni ex sorore sua germana Mechtilde susceptam, Principis

pro ea tempestate in sanguinis nobilitate, prudentiae claritate, excellentissimi), solenniter desponsat in uxorem, et ad illustrandam amplius famam nominis, et gloriam Regni Polonici, praefato Miecislao Duci charo et unico Boleslai Regis pignori, consociat: ut qui jam Regium decus contraxerat, claritate Imperialis sanguinis amplius longiusque fulgeret. Stipulationesque et promissiones publicae, inter Caesarem et Regem, vice natorum contrahuntur, et literarum inscriptione instruuntur. Maximum enim id, prout erat, censebat sui Imperii stabilimentum, si affinitate huiusmodi Almanorum et Polonorum Regiones conglutinasset.

Nec his Caesar contentus, donat Boleslao unum clavum de Cruce, perforatione corporis Dominici nobilitatum, et S. Mauritii lanceam, cum hac adiectione verborum. „Hunc inquit, clavum, quo nil preciosius, nil charius, nil jucundius, gratius, in omni mea supellectili me habiturum esse rebar, tibi amicissimo meo affini pro vexillo triumphali dono, designans te, tam excellenti munere omnium in circuitu hostium, et barbararum praecipue natio-

num magnificum triumphatorem. Neque enim amplissima dona tua mihi et meis tributa, auro et argento, in quo te video satis opnlentum esse, sed quod omnes gazas terrenas superat, clavo Domini rependo. Lanceam insuper S. Mauritii Thebanae legionis Principis addo, qua in bello contra barbaras nationes tuo Regno vicinas, tantummodo uti te volo, propitio Deo, et S. Mauritio patrocinante, barbaricam potentiam contriturum.„

Boleslaus autem Polonorum Rex de affinitate tam splendida ac illustri, et de muneribus excellentibus, et raris gratiarum condignam actionem effundens, Caesari Beati Adalberti brachium condonat, cum magna gratitudine, et devotione a Cesare susceptum; simulque tale Caesari edit responsum. „Cum inquit, dietim experior personam meam, deinde prolem meam tibi curae esse, conglorificatione mea, et populi mei non contentus, etiam filium meum in generum adoptasti, Clavo insuper Dominico, et B. Mauritii lancea Regium solium meum, in quo a te evectus sum, Triumphalibus insigniis, velut firmissimo robore, sanxisti, enitar pro viribus,

ut tanto a te nobilitatus decore, factis potius, quam verbis respondeam, et pro te, tuoque Imperio, bella, ad quae me per te accersiri continget, prono fidelique animo geram, ne a qnoquam vinci possem officio gratitudinis certaturus. „

Coronatione Primi Regis Polonorum Boleslai Otto Imperator peracta, et affinitate per Neptem suam Rixam contracta, onustus auro et argento, donisque multipljcibus, Gnesna egreditur: magna laeticia exultans, et intrinseca exhilaratione ovans., quod in Principem tam liberalem et munificum Coronationis et affinitatis officia contulisset, et ipsum suum, et Imperii amicum effecisset. Comitabatur autem Imperatorem ad propria redeuntem Boleslaus Polonorum Rex usque ad terminos Regni, in singulis locis suae ditioni subiectis Imperatorem, et exercitum ejus splendide procurans et pertractans. In finibus autem Regni sui, Imperatori gratiis peractis, faedere perpetuae amicitiae percusso, et variis pollicitationibus firmato, valedicens, in Poloniam revertitur.

Imperator quoque Otto in Almaniam suam divertens, sospes et incolumis

in Maideburg (ibi enim erat sua familiarior mansio) peruenit, et Illustrem Virginem Rixam Neptem suam Nunciis Boleslai Regis Polonorum (qui eum ex Polonia comitabantur, et Patri Virginis Esoni Comiti Palatino magni precii attulerunt per Boleslaum missa munera) cum dote tradit Poloniam deducendam.

Qui illlam cum plerisque Almaniae militibus, per Imperatorem et Patrem Virginis Comitem Palatinum Esonem adjunctis, in Regiam ad Gnesnam offerunt. Virginem doctam literis, moribus conspicuam, non secus forma et genere, quam faeminea praestantem gravitate; dotisque representant munera, et aulicae domus ornamenta: rogant avunculi Patris et parentum nomine, ut illam in solatium fidelitatis societatis, et thori Miecislaus Dux filius Regius assumat, et dulcedine pertractet, suavissimam habiturus consortem, modestam, tractabilem, et morigeram.

Potentiam Boleslai Polonorum Regis latissime se diffundentem Wladimirus Ruthenorum Dux perhorrescens, et veritus, ne quandoque in se, et terrarum suarum periculum recideret, mittit ad

M.(x) Vereor autem ne Boleslao facta verbis assequi non possim, in quibus enim elinquis fit discursus, id est eloquentia obmutescit.

Hujus enim universa supellex aut in animi dotibus viguit, aut in armorum strenuitate resplenduit: quibus Seleuciam Pomeraniam Prussiam Moraviam Bohemiam suae subijciens ditioni, reliquit suis posteris vectigales, urbem Pragensem si secundariam sedem Regni sui constituens. =

Hunnos [: seu hungaros :] Cravatos et mardos gentem validam suo mancipat imperio: imo et Saxones indomitos adeo domuit, ut in Sale fluvio columnam fixit ferream, quasi quibusdam gradibus fines Imperii sui determinans: nam ab oriente alteram metarum in aureis valvis Kijovia impegit

Ubi urbe capta

(x) Epistola XIII Mathaei E. B.

Ubi urbe capta in aurea civitatis porta excidit mucronis ictu creberrimo veluti quoddam bonae signum. Ubi quendam sui sanguinis Regem creat, ipso Rege ruthenorum /: non praelio quidem sed sola ignaviae metu profligato. Nam cum illi Boleslaus imminere nunciatur, ut erat nugis piscationum intentissimus, hamum cum regno abijcit dicens " ejus hamo sumus intercepti qui siluros prendere non didicit," quo vix dicto in fugam tremebundus convertitur: fuga tutior quam praelii congressu felicior!

Boleslaus siquidem post felicem de hostibus triumphum - - - - /: . . . . :/

Boleslao siquidem post felicem de hostibus triumphum remeante, ac toto pene illius exercitu defluxo Iste profugus tam viris quam viribus collectis a tergo subrepit, ratus aut incautum insidiis involvere, aut improvidam obruere multitudinem.

Quibus eminus Ille visis ait „ istos
„ ipsos, o Socii, pulvis pecorum calcibus excus:
„ sus exuit a castris: isti arena muculentissimi
„ desides a mucrone ante casum occidunt, ante
„ impetum succumbunt! arcendi tamen sunt
„ volatiles muscarum aculei quia etiam contra
„ ignavos molesta est torpedo. Turpis est igna:
„ via„! nec vos moveat inexercitatae plebis

centuplati

« centuplati exercitus, quia in paucioribus oia li=
= berior, et strenuitas est circumspectior, nec
= multo gloriosior est vincens multitudo quam
= victa paucitas. Ergo quia cum sarcinis ne=
= mo facile enatat, abijci convenit praeda occu=
= pamina: jucundius enim est victoriae gloriari
= triumphis, quam praedociniis impraegnari„

Ad haec illi « Animo, inquiunt, deside=
= ranti mora est ipsa celeritas: cui ergo vacat
= capita hostilium legionum computet! nostri enses
= interim capitum supputent minutias„

Confertissimas itaque penetrant acies, fer=
rea ferro demetiunt papavera: nec saturata est
insatiabilis leonum rabies, donec extrema rotata
sunt cadavera, donec Aug flumen cruoris
concretum est coagulo.

Non angusto rursus tempore = (1) - -

— (1) vide infra pag 56.

Boleslaum Polonorum Regem nuncios insignes, petens secum, et terris suis jungi foedus. Boleslaus autem amicitiam Ruthenicam intelligens Reipublicae plurimum convenire, foedus Wladimiro Russiae Duci concessit, et sub aequis conditionibus illud secum jure jurando firmavit. Ex quo utraque terra maxima quiete annis pluribus floruit, et quievit.

A.D. 1002. Pernicioso Dux Boleslaus Tertius Bohemiae consilio seductus, guerram, causam non praecedente, aut de merito Regi Polonorum movens, in terras Polonorum versus Klecko armatus descendens, coepit illas hostiliter vastare igne, populatione, et gladio, suaeque ditioni subicere et tributo. Qua novitate ad Boleslaum Regem perlata, magna percellitur admiratione, quod ab eo, quem fratrem ac amicum in suis opportunitatibus experiri crediderat, bello injusto, provocatione nulla intercedente, premeretur. Legatis ad illum transmissis, qui et per sangvinis, et pacis hactenus observatae jura restitutionem ablatorum et deformatorum solutionem repeterent, et ut pacem servaret, hortarentur. His Boleslaus Bohemiae Dux auditis, respondit „se injuriis prioribus provocatum

bellum suscepisse, coactumque et invitum bellum, Polonis fines suos incursantibus, intulisse: non recusaturum tamen se omnem possibilem aequitatem.,, Consentientibus itaque Polonorum Regis Boleslai Legatis, treuga interponitur et firmatur.

Cujus conditione Boleslaus Polonorum Rex bellum suspensum aut finitum credens, animum ab expeditione avertit: verum Boleslaus Bohemorum Dux eodem consilii tenore, quo et prius, persuasus, maiori potentia coadunata, ruptis treugis Poloniam ingreditur, illamque fortius, quo potest, invadit, suggerentibus sibi Bohemis, Boleslaum Regem Polonorum sibi suis viribus et copiis resistere nullatenus ausurum. Quibus verbis princeps parum sensatus credens, bellum eo ferventius promovebat.

Quo malo Boleslaus Polonorum comperto, Leonino ruitu fremens, ex universo Regno suo celerius, quo potest, convocat fortissimos quosque milites et bellatores, et contra Boleslaum Ducem Bohemiae celeri cursu acies producit: verum Bohemiae Dux referentium sibi exploratorum denuntiatione certior fa-

ctus Boleslaum Polonorum Regem cum magno exercitu, et suo plurimum superiore adventasse, vastatione Poloniae omissa, in Bohemiam se recepit. Quem dum Boleslaus Rex in locis, quae vastaverat, non reperit, altius fremere cepit' quod et ille subductus esset hostis, et calamitates fletusque, illum, quam maxime, eorum, qui a Bohemis bello vexati oppressique erant, commoverent: ingentique spiritu, calamitate suorum coram conspecta incensus, fertur Boleslaus Rex dixisse. „Quando inquit, nec sanguinis communio, neque vis foederum Boleslaum Ducem Bohemiae a clade, meo Regno inferenda, potuerant avertere, de caetero mihi usque ad interemptionem prosequendus est: non prout justus hostis, set ut insidiator veneficus.„

Anno Domini 1003. Dolorem anxietatatemque mentis, quam super Regni sui vastationem per ducem Boleslaum Bohemiae factam, Boleslaus Polonorum Rex conceperat, (hactenus ex bonis affectibus aëris veritus intemperiem, et caetera incommoda, milites ad suos penates remiserat) amplius tolerare et ferre non valens, expeditionem in Bohemiam,

ultum iri cupiens suas injurias, indicit, magnasque tam Equestrium, quam pedestrium ad id bellum felicius gerendum copias instaurat. Et cum exercitu potenti Bohemiam ingressus, singulas Bohemiae Urbes resistentes expugnat, caetera vero ignobilia oppida et colonias vastat et exurit, sperans Boleslaum Bohemiae Ducem, sui Ducatus spoliatione, vastatione, et incensione motum, ad campestre posse elici certamen.

Erat pro ea tempestate in Bohemia maior Ursovicensium domus, quae caeteris genere, familiis, possessionibus, fama et valore praecellebat. (Ursoviensium autem familia ideo appellabatur, quod pro insigni Ursum, virginem coronatam gestantem, deferebat). Hujus autem familiae maior et senior Baro Kochan vocatus, opibus et autoritate inter suos maior, familiaris Boleslao Polonorum Regi erat; liberalitatemque Regis in transacto tempore expertus, suisque multiplicibus beneficiis obligàtus, omnes de amicissimis et parentela sua ad favendum copiis et actionibus Regis Boleslai inducit: quem, et cognatos fratres suos Rex Boleslaus, indicta liberalitate, plurimis, crebrisque largitionibus inescatos,

in

in suam fidei devotionem et culturam magnopere incendit.

Ipsorum ductu et assistentia maximas Bohemorum Regioni inferens continuas caedes et perniciem, vastationemque calamitosam, longe lateque Bohemicum est populatus agrum.

Cum itaque Boleslaus Polonorum Rex universam Bohemiam, preter Ursovicenses possessiones, quibus parci mandavit, caedibus, igne et spoliis contrivisset, Boleslaus vero Bohemiae Dux ejus potentiae resistere non valens, in Castro Wissograd se cum filio suo Jaremiro contineret, ad ipsam Bohemorum Metropolim Pragam, et Wissograd castrum, Boleslaus Rex copias sui exercitus admovit: ipsamque obsidione cingens, et arietibus, caeterisque propugnaculis quatiens, et biennio fame affligens, obtinuit magnifice et expugnavit, et militibus suis dedit in direptionem et praedam.

Praga autem capta non multo post etiam Wissograd strenue conquassavit, in quo Ducem Bohemiae Boleslaum cum filio Iaromir, (alter enim filius Udalricus servitiis Caesareis applicatus, absens erat)

reperiens captivat, et universam Bohemiam in suam redigit obedientiam, et ditionem, Praefectosque tam in Wissograd et Praga, quam in caeteris municipiis suo nomine praeficit et ordinat, sedemque suam Ducalem Pragae collocat.

Et Universos et nobiles Bohemiae, (qui Pragensis Civitatis et Castri Wissogradiensis, triumphali conquisitione audita, ad se venerant) benigne excipit, tractat et honorat: qui etiam nullo cogente fidelitatis et obedientiae sibi praestabant, juramenta. Cujus liberalissimam largitionem pluribus et assiduis donationibus experti, devoti et fideles, in ejus obedientia permanebant.

Redacto Bohamiae Ducatu Polonorum Rex Boleslaus in suam ditionem et potestatem, in singulis Civitatibus et Castris suae ditionis et juris Praefectos et Capitaneos, aut ex Polonis, aut ex Bohemis, quos sciebat sibi, et suae parti magis esse pronos atque fideles, statuit et locat: et omnibus bono ordine compositis, recedere in Regnum suum Poloniae, reducereque victoriosum exercitum parabat. Detinebatur autem supplicibus precibus et obsecrationibus Bohemo-

rum, quatenus moram cum illis faceret magis diuturnam. Quod cum Rex Boleslaus nullatenus se facturum responderet, cum et Regnum suum Poloniae praesentiam suam magnopere desideraret, consultum illi a Bohemis, et praesertim ab his, qui fideliores erant illi Ursovicenses, quatenus Boleslaum Ducem Bohemiae, et filium suum Iaromirum a se captos, occidi disponeret; quoniam illis viventibus Bohemiam sciret sibi quandoque recalcitraturam: sed et alterum filium Boleslai Ducis Bohemiae Udalricum in obsequiis Imperatoris Ottonis consistentem, curaret extinguere, aut in suam redigere captivitatem. Rex autem Polonorum Boleslaus etsi vera illos suggerere intelligebat, facinus tamen atrox in Ducem et fratrem committere exhorrebat. Stimulatus tandem Bohemico consilio, Ducem Bohemiae Boleslaum excaecari praecepit, et oculos ei eruendos mandavit, ne quando ulla rerum conversione recursus illi pateretur ad Principatum. Filium vero ejus Iaromirum in custodiam et captivitatem Ursovicensibus tradidit: patrato scelere, copioso Polonorum militum Pragae et in Wissograd relicto praesidio, Poloniam incolumis rediit:

A. D. 1004. Parum autem visum est Clarissimo Principi Boleslao Polonorum Regi Bohemiam habere tributariam et subiugalem, nisi illi etiam Moraviam adiecisset. Quapropter habito ex Regni sui terris delectu, cum militum suorum forti et expedita manu Moraviam ingreditur, et tam Civitates, quam castra Moraviae, quae Principatum suum abnuebant, potenter invadit, circumvallat et expugnat. Erat siquidem Boleslaus Polonorum Rex ea animi a natura insita fretus constantia et magnanimitate, ut nihil sibi aggrediendum praesumeret, a cujus ceptis temere desisteret. Quapropter obsidionem civitatis, tam in Bohemia, quam in Moravia, non aliter solvit, nisi aut sponte, in ditionem suam, aut viribus obsessa civitas veniret. Qua quidem constantia et robore animi subsecutum est, ut universa Moravia, aut sponte, aut armis, aut suae potentiae viribus subacta, suo se subiiceret Imperio et ditioni. In cujus Castris et civitatibus principalioribus Praefectos suos ex Polonis et aliquibus fidelioribus sibi Moravis constituens.

Multo tempore Moraviam et Bohemiam tenuit feudalem. Singuli etenim introitus, census et reditus, ad Ducalem fiscum pertinentes, ex utroque Principatu Bohemiae, et Moraviae, thesauro Regio in Poloniam annuis temporibus inferebantur.

Ut autem tam Bohemiae quam Moraviae possesio Boleslao Polonorum Regi firma et diuturna esse posset, et populi Regionum illarum, fluxae et ambiguae fidei, resque novare soliti in fide continerentur, misit Boleslaus Polonorum Rex ad Henricum Imperatorem Primum, consobrinum, et amicum suum, nuncios solennes (liberalissima et magnifica dona variorum munerum transmittens, per eosdem) qui in primis sibi felices Boleslai Regis successus, quos in acquirendis duabus vicinis terris, videlicet Bohemia et Moravia, et quas Regno suo Poloniae subiecit: quantas, quotue expugnaverit civitates, et quanta spolia ex devictis in Regnum suum Poloniae retulerit, ex ordine patefaciunt et declarant. Ultimo precantur et deposcunt, quatenus Udalricum filium Boleslai Ducis Bohemiae in curia sua Imperiali commorantem, sibi tradat et remittat: sta-

bilimentum maximi momenti terris Bohemiae et Moraviae, per eum subactis, adiecturus. Caesar autem Henricus, qui intenso et ferventissimo amore Boleslaum Poloniae Regem, propter Heroica opera, et ingenuas virtutes, diligebat, cum esset Bohemis plurimum iratus et infestus, Udalricum Nunciis Boleslai Polonorum Regis tradit. Qui per illos in Poloniam ad Boleslaum Poloniae Regem deductus, et honestae custodiae traditus, per annos plures asservabatur. Cujus captivitate Bohemi et Moravi cognita, sincerius Boleslao Polonorum Regi parebant, nec unquam ausi sunt quicquam adversi moliri, aut ejus ditioni adversari.

A. D. 1007. Captivitati calamitatique Udalrici filii Boleslai Bohemiae Ducis, quam aliquanto jam tempore in Polonia pertulerat, Boleslaus Poloniae Rex pia miseratione compatiens, tum quod illi sangvine et affinitate propinqua junctus esset, tum quod pluribus, sponsioni a fide devotione atque officio Boleslai Regis se nunquam discessurus, lacrimis et jurejurando interpositis asseverabat, captivitatem solvit, et equis, familiaribus, vestimentis, et plurima Regali supellectili exornatum vestitumque in Bohemiam remittit.

Qui ex carceribus Boleslai Regis beneficio in libertatem vindicatus, omnium quae Boleslao Regi spoponderat, et beneficii quod illi praestiterat oblitus, in Bohemiam reversus, et praesidia quae a Polonis tenebantur, extrudebat, et plerosque Barones Regi Boleslao fidem temerare nolentes, et signanter Ursovicenses, (quorum genus Boleslao Poloniae Regi fide sincera adhesisse noscebat) peremit, bonorum oblatione mulctat et proscribit: adeoque in Poloniae Regem et suos sevire cepit, ut lachrimas quas in conspectu Regis profuderat, gaudio videretur projecisse.

Nec his contentus suspectam habens fratris Germani Jaromiri societatem, nimio principandi flagrans desiderio, fratrem eundem Jaromirum captivat, captumque innocenter, et nullo intercedente excessu aut merito (quo firma Ducatus in eum Bohemiae solum recideret successio), utroque oculo excecat et privat. Crudelitatis suae munimenta in fratrem Germanum et innoxium deprompta praesenti et futurae aetati, non sine suo et suae posteritatis dedecore relinquens.

A. D. 1008. Forti frequentique exercitu ex Ruthenis et Varahis Jaroslaus Rus-

siae Dux comparato; contra Svantopelkonem fratrem hostiliter procedit, duorum fratrum Germanorum, videlicet Gleb et Borysz, indigna nece peremptorum, ab eo mortem ulturus. Cui cum Ruthenis et Pieczynigis, Svantopelkus circa Castrum Lowce et fluvium Dniepr occurrit. Et flumine Dniepr utrumque exercitum dividente, trimestri spatio stativa illis, uno alterum propter mediantes undas invadere non audente, habita sunt. Jaroslaus autem flumine Dniepr cum omni suorum exercitu superato, Svantopelkum, et exercitum ejus inter duos lacus consistentem, subito et insperate invadit. Exercitus autem Svantopelki hostium armatorum et expeditorum inermis ipse adventu percussus in lacus frigore hyemali congelatos ex tabernaculis diffugit. Ubi glacie fragili violata, plures numero sorbentur ab undis, reliqui a Jaroslao et exercitu ejus, aut trucidantur, aut captivantur. Svantopelkus autem Dux vix manus hostiles evadens, repenti cursu in Poloniam aufugit, et ad Boleslaum Polonorum Regem se conferens, supplex sibi contra fratrem ferri Jaroslaum auxilia, plurima offerens, plurima pollicens, expetiit. Capit autem Jaroslaus Dux, Svantopelkone

et exercitu ejus conflicto, Castrum Kiow tradentibus se illi Kioviensibus, et sedit in Principatu Koioviensi habens annos 28.

Praecipuis bellatoribus et militibus ex Poloniae Regno Boleslaus Poloniae Rex in grandem exercitum, coactis, prefectisque, qui Ordines ducerent, et Millenariis, Centurionibus, Quinquagenariis et Decurionibus, caeterisque qui agminibus praeessent, legitime ordinatis; Setegio vero Cracoviensi Palatino Principe militiae constituto, terram Russiae Svantopelkonem Ducem expulsum restituturus, potenti brachio ingreditur: plures factiones, praedas, spolia et injurias, quibus Regnum Poloniac Rutheni crebrius vexabant, vindicaturus. Agmen autem universi exercitus Boleslai Regis in Praefectorum praecipua cura adeo instructum regulatumque erat, ut instare et sequi, et in ordines coire, et quidquid posceret necessitas, agere pronum esset.

Russiam itaque Boleslaus polonorm Rex ingressus, universas eorum civitates et oppida sine resistentia aliqua capit, et conquirit. (Neque enim pro ea tempestate aliquae civitates munitae habebantur, rarusque murorum usus apud Ruthenos erat, sed etsi civitates aliquae principales frequentiam habebant domo-

rum et civium, haec tantum solo naturae situ aut lignorum struibus, pro muris et maeniis aedificatis erant debiliter stabilitae) Omnes itaque Civitates Russiae Boleslaus Poloniae Rex comprehendens, et militibus tribuens in praedam, arces dimittebat inconquisitas, videns illas pro sui conquisitione post modicum temporis ad se proventuras, sine effusione sangvuinis, cujus apud eundem erat magna caritas et aestimatio absumpturas. Celerrimo igitur cursu Russiam spoliis et incendiis, nullo resistente conficiens ad Ruthenorum terram Wolinensem (quae Lucensis nunc appellatur) pervenit.

Postquam autem Russiae Duci Jaroslao, qui tunc voluptati et solatiis deditus, hamo pisces in fluvio Dniepr (quorum fluvius ipse magnam edit abundantiam) piscaretur, adventus Boleslai Polonorum Regis citus et velox denuntiatus fuisset, tunc quidem subito pavore perculsus, hamo quem manu gestaverat in terram proiecto. „Nihil inqut, hoc hamo hactenus opus est, neque ut pisces comprehendamus, sed qualiter hosti occuramus curandum, ne hostis infesti et potentis, effusionem sangvinis nostri sitientis, hamo involvamur. „

Congregatis itaque multiplicibus ex Rutenis, Varahis et Pieczynigis, copiis, Boleslao Polonorum Regi ad fluvium Boh occurrit, transitum illius si posset prohibiturus, sin minus, decertaturus. Absumptis itaque ad ripas fluminis Boh ab utroque exercitu diebus aliquot, fiebant inter exercitus concursiones et certationes, mutuaque praeludia: tandem ad universae dimicationis discrimen, primum glebis et improperiis acta re, ad disceptationem ex parvo (ut fit) momento excanduit, ut jam a multis per saxa, jacula et sudes res agi cepta sedari nequiret.

Erat Jaroslao Russiae Duci suus alumnus nomine Budy plurimum charus, et omnium consiliorum et negotiorum Jaroslai consultor, moderator et director, qui in altera ripa consistens, multis improperiis Boleslaum Polonorum Regem et suum exercitum irritabat, nunc meticulosum, nunc crassum Boleslaum Poloniae Regem appellans, astruens se illius crassum ventrem, si in aciem prodire auderet, confossurum. Quibus contumeliis Boleslaus Poloniae Rex provocatus, contione advocata militum, prudenti usus oratione, ne suam, et Regis

sui ignominiam aequo animo ferrent, sed armis expeditis illico in praelium prodeant, hortatur.

Universo itaque exercitu velocissime armato, Boleslaus Polonorum Rex Primus Boh flumen insiliit, quo superato Rutenos trepidantes, et suos in arma vocantes invadit: mirificum hinc inde accensum est certamen, adeo ut ad omnem fortunae experientiam veniretur. Et quamvis aliquantis horis hinc inde fuisset pugnatum, ad ultimum tamen Jaroslaus Dux Russiae cum universis suis copiis contritus, et profligatus est, et cum quatuor tantum comitibus in Kioviam aufugit: ingens caedes tunc a justa ira edita est, sed et multi ex Rutenis, Pieczynigis et Varahis capti, castris etiam hostilibus magnae opulentiae Polonicus exercitus potitus est.

Jaroslaus Dux in Kiovia consistens, ne a suis proderetur, in paludinosa loca divertit, futurum erat ratus Boleslaum Polonorum Regem se persecuturum, et locum ubi esset obsessurum.

Ab exploratoribus autem et fugitivis, Boleslaus Rex Jaroslaum Russiae Ducem

ex ipsa Principatus sui arce Kiovia doctus diffugisse, tanto velocius ad Kioviam promovet exercitum, et aliquot stativis illic applicans urbem (ad vada fluminis famosi Dniepr sitam, situ et populo diffusam et amplissimam, eaque tempestate famosam, cujus magnitudinem opulentiamque etiam nunc ruinae, et trecentarum vel amplius Ecclesiarum excellentes muri protestantur) undique cingit, et tam terrestri quam navali loco eam obsidione coarctat, providens omni studio et cautela, nequid ad illam posset importari: sciens tantae multitudini, quae illic erat inclusa, et quae ex pluribus Russiae oris illic defluxerat, consistere non posse, et alimenta propediem deesse.

Impugnationem itaque urbis, tenuibus infestationibus ostendens magis quam exequens, finalem ejus conquisitionem in aliquantum tempus differebat, sperans se illam, vel sola fame absque periculo et interitu militum consecuturum. Nec eum opinio fefellit, pluribus enim in urbe obsessis, vel fame extinctis, vel inedia maceratis traditur Boleslao Polonorum Regi civitas: quam in splendore armorm equis et ensibus nudatis, cum expeditis militibus aliquot agminibus

eum praecedentibus, et subsequentibus, ingressus in portam, per quam primum intrabat, et quae aurea ab incolis vocabatur, forti brachio mucronem vibrans impegit, et illam in sui medio dividens et proscindens, signum triumphale suae captionis, aut victoriae illic reliquit: et deinde ad arcem Ducalem divertens eam comprehendit, et universam suppellectilem et thesauros Ducales adeptus, militibus plura in solatium dedit: et Svuantopelkonem Ducem Russiae in sedem Kioviensem, a qua pulsus erat restituit.

Praestantioribus autem militibus circa se Polonorum Rex relictis, caeteram omnem multitudinem, jam enim hyems appropinquabat, in hyberna distribuit. Svantopelkone Russiae Duce Polonorum militibus affatim providente, et de commeatu, et de vestitu.

Cognoscens autem Jaroslaus Russiae Dux, Polonorum exercitum ex Kiow in hybernà deductum esse; et Boleslaum Regem cum paucis in Kiow remansisse, congesto exercitu clandestine versus Kiow transiit, Boleslaum Poloniae Regem quacunque arte aut ingenio occisurus.

Boleslaus autem Rex denunciato sibi Jaroslai et hostium adventu, correptis armis equum illico conscendit, militesque se sequi et in ordines ire jubet: ordinatoque exercitu, et flumine Dniepr superato, Jaroslaum et exercitum ejus in altera parte fluminis agentem stativa invadit: fitque acerrima pugna, et vincitur Jaroslaus a Polonarum Rege, et omnis militia Jaroslai, aut tunc cecidit, aut in potestatem Boleslai Polonorum Regis viva venit: Jaroslaus autem paucis equis in Novogrod fugiens pervenit, ubi ex nimio pavore et dolore consternatus, non audens consistere (Boleslaum enim Poloniae Regem ad se expugnandum, illuc verebatur venturum) ultra mare disponebat fugere, quem Novogrodenses non solum retinent, sed paventem ac dubium rebus suis et spe altiori reficiunt; et ut novus et recens exercitus contra Regem Polonorum instaurari possit, ut quilibet agrestis quatuor mardures, nobilis quinquaginta marcas, Capitaneus decem marcas solvat, decreverunt. Certatim itaque magna pecunia congesta, Varahos in sui solatium conducunt, Boleslao novum bellum illaturi. Totus autem ille apparatus bellicus Jaroslai ex pavore recentis cladis in auras evanuit.

Boleslaus deinde Rex Herculem illum fortissimum, qui in finibus Hesperiae duas columnas fabricaverat, imitatus; tres et ipse in flumine Dniepr ex solido ferro columnas; quas in eam usque diem permanere asserunt, pro gadibus perpetuis locat.

Sedit autem Boleslaus Polonorum Rex in Kiow multo tempore, et parebant Rutenorum Nobiles, Proceres, et universi Rutenicae gentis ejus imperio atque ditioni. Verum Svantopelcus Russiae Dux parum sensatus, Boleslai Regis diuturnam moram moleste ferens, aliquos Polonorum milites, in hybernis commorantes clam aut ipse interficit, aut interfici a suis disponit. Qua injuria Boleslaus Poloniae Rex juste permotus, militibus suis et universo Polonorum exercitu ex hybernis revocato; civitatem KioviensemSvantopelkone diffugiente dat militibus in praedam. Castra quoque Russiae in suam redigens ditionem, rapinis non prius temperari jussit, donec omnes Rutenorum, Kioviensium fortunae, felicitate diuturna cumulatae per Polonos fuissent digestae. Duas deinde sorores Svantopelkonis, et Jaroslai Ducum Russiae, videlicet Przeclavam, et

Msci-

Mścisławam. Item Boiaros et Proceres Russiae magis insignes captivat, et vinctos ut obsidum loco essent, onustus Rutenorum spoliis, pluresque ordines captivorum ex Rutenis secum ducens in Poloniam, pluribus castris Russiae, forti militum Polonorum praesidio imposito, remeavit. Athanasium Rutenum qui se illi dolo insinuaverat, thesauris suis in fidelem thesaurarium et servitorem praeficiens.

A. D. 1009. Ex Russia Boleslao Polonorum Rege, cum gravibus et insignibus spoliis in Poloniam remeante, Jaroslaus Russiae Dux, quem armis et virtute superaré desperaverat, astu et dolis vincendum credebat. Notabili autem ex Rutenis, Polowcis, et Pieczynginis, et Varahis, caeterisque nationibus exercitu collecto, egressum Boleslai Regis cautissime observabat, suaque et sui exercitus egredientis, pedentim et latenter insequebatur vestigia, in finibus terrarum exercitu Boleslai in diversas oras distracto, irruptionem facturus: arbitrabatur siquidem Polonos more conditionis humanae, quod auro et argento, caeterisque spoliis quam maxime ditati, et subsarcinati erant, ac conjuges, li-

beros, caetera pignora longo tempore non viderant, celeri passu domos suas petituros, et Regem cum paucis relicturos.

Callido autem satis suo ingenio etiam eventus ad spem respondit. Boleslaus autem Poloniae Rex Jaroslaum Ducem Rutenorum, qui sub tanto tempore ignarus erat, quod se in latibulis absconderat, pro victo reputans, ad fluvium Bug perveniens exercitui ut sua quisque loca peteret, licentiam dedit. Jamque amplissima pars sui exercitus defluxerat, cum Jaroslaus Rutenorum Princeps a speculatoribus cum numeroso et copioso exercitu nuntiatur adesse: illic enim Boleslaum Regem consequutus erat, doctus a suis exploratoribus exercitum Boleslai defluxisse et defluxum esse.

Boleslaus autem Rex, ut erat vir animositatis et fortitudinis rarae insignis, nihil hostium adventu perculsus, plerosque milites, qui parvum recessum confecerant, revocat, et cum hostibus quantacunque potentia praeditis decernere statuit. Urgebatur enim Rutenorum impetuosa invasione, fugam autem turpem sibi et exercitui suo magis quam mortem execrabatur; intelligens Rutenos fuga sua animatos, interiora Regni sui

penetraturos, et hostiliter in universos saevituros: sed et per Rutenorum irruptionem, claritatem et titulos superiorum suarum victoriarum apud gentes et nationes subactas, et subiiciendas amarius morte ducebat frustrari, et praeberi illis occasionem et audaciam contra suum Imperium calcitrandi: se et in eo loco a Jaroslao Duce Russiae occupatum videbat, ex quo exercitus suus residuus non nisi victor recipi posset. Prius tamen quam ad congressum cum Ruteno veniret, alloquendos sibi milites, et ad pugnam incendendos ratus, haec apud illos facit verba.

„ Probitatem vestram, o milites „ in pluribus bellis et periculis retroactis frequentius expertus, certamen „ cum hostibus, qui nobis multo plures „ numero sunt, est ineundum. Cum „ aliud agere honestas disuadet, vos duco, „ verbis meis nihil quidem vestrae virtuti adiecturus, verum ea quae imminent, quaequae verisimiliter contigere „ possunt commemoraturus: Hostem „ enim cernitis et suapte, et nostris provocatum armis infensum, dissolutione „ defluxioneque exercitus nostri, qui neque colligi, neque revocari absque

„ evidenti nostra clade, et periculo po-
„ test cervicibus nostris, et de victoria
„ gloriabundum, imminentem. Itaque
„ si vivere honeste in libertate volumus,
„ si penates nostros, et conjuges, et
„ liberos servare, si partis victoriis glo-
„ riari, et subjectas nationes sub jugo
„ et tributo detinere; si deinde Russiam
„ ipsam tributariam nobis facere, et
„ opima spolia, atque captivorum man-
„ cipia, ex ea relata possidere libet? ferro
„ armisque hostis, numero quidem ma-
„ gnus sed animo imbellis et ignavus,
„ summovendus est; et inanis spes repor-
„ tandae victoriae, qua jam inflatus su-
„ perbit et tumet, vestris dextris eripi-
„ enda. Quid enim proderit Bohemos
„ vicisse, illosque et Moravos ditionis
„ nostrae fecisse, caeterasque nationes in
„ circuitu debellatas humiliasse, si Rute-
„ norum armis victi, et ab hoste timido
„ fugati, et pavore debellati sic singulis
„ quae virtute quaesivimus exuamur?
„ fines Regni nostri propagaturi, bel-
„ lum Rutenis indiximus, nisi nunc hinc
„ victores evadamus, amittimus propa-
„ gatos. Ego in caelesti confisus au-
„ xilio, spero me vestra virtute die ho-
„ dierna insignem victoriam ex hac ho-
„ stium multitudine relaturum, meisque

„ superioribus victoriis famosum, et cla-
„ rissimum titulum hujus victoriae even-
„ tu adiecturum: spe optima plenus opti-
„ me vos sperare jubeo. Quae si sub
„ esset, necessitas tamen, quae maxi-
„ mum ac ultimum est telum stimula-
„ re nos deberet. Quocunque nos ver-
„ tamus o milites, ad extrema perventum
„ est: fugae enim praedas nobis prae-
„ sertim hostiles vehentibus, nulla fa-
„ cultas circumfusis undique hostium
„ copiis, et nos impigre observantibus.
„ Deditio vero hostibus, perpetuam vili-
„ tatem et turpitudinem nomini meo,
„ atque nostro generi inureret. Auxi-
„ liarias vero ex Polonia praestolari co-
„ pias, eorum esset, qui certaminis pos-
„ sent declinare discrimen. At nostra
„ paucitate hostes conspecta perpeti in
„ praelium armantur fervore. Dum ita-
„ que virtute non possumus, necessitate
„ superiores evadamus; Cura igitur
„ mortis et vitae praesentis spe circum-
„ scripta, unusquisque vestrum ruat in
„ hostem, jugulum hosti perfracturus,
„ magis quam praebiturus. Paucorum
„ annorum accessio unumquemque ve-
„ strum non moveat, cum etsi nunc ser-
„ vati, post tamen nihilominus peste,
„ morbo, vel casu aliquo sumus mori-

„ turi„ hac cohortatione incensi militum animi gloriosam mortem potius se subire malle, quam ex praelio pedem referre, magnis acclamationibus protestabantur.

Quos ut alacres et plenos bonae spei Boleslaus Rex vidit, extemplo signa tolli jubens, ducit in hostem, et pugnam conserit, equis et hastis velocissimo cursu concitatis.

Ruteni ut inferri sibi praelium contra ac erant rati viderant, plurima admiratione percelluntur, paucitatem in multitudinem circumferri: primos tamen impetus sustinentes, magno et ipsi animo ex spe dudum concepta bellum gerunt. Verumtamen tempore procedente videntes Ruteni suorum numerositatem diminui, et Polonos ad extremum paratos, majorem quam pro numero cladem (Boleslao Rege unumquemque ex nomine cohortante) edidisse, spe priori extincta, cadentibus enim primis ad se quisque caedem non ambigebat perventuram, pedem referunt, quanta tamen possunt vi abundante mulitudine resistunt. Audatiores pugnatioresque Polonos faciebat necessitas, cum nullam

viderent nisi per ferrum tantis circumfusi hostibus spem evadendi.

Verum Boleslaus territos eos perpendens, suis, si paululum adnitantur, victoriam denunciat.

Nec Regis atque Ducis officio contentus: cum militibus, qui eum observabant, praelio se infundit, aciesque hostiles cedendo, ad extremum perforans, prosternit, et dissolvit: manus et copias exhibens praelio, et contra hostes fortiter pugnans, providentiam tamen boni Ducis, non omittebat, sed ubicunque consilio opus erat accurrens, bellum et bellantes adjuvabat. Et cum mars magis, magisque valesceret, nunc adhortatione, nunc stricto gladio, nunc feriendo, nunc sauciis recentes substituendo, dubium effecit, plusne sapientis Imperatoris artibus, an fortis militis opera, pro consequenda victoria uteretur? suisque celebriorem victoriam largitur, triumphalemque et magnam viri fortis in ea pugna gloriam effectu majori consequutus, quam voto.

Omnia enim erant tumultus, timoris, et fugae plena. Dux ipse Rutenorum Ja-

roslaus suos, crescente pugna deteriori loco et in fugam versos conspiciens, insignibus Ducalibus, ne proderent fugientem, abiectis, equos mutando, persequentium Polonorum manus, fugiendo evadit: omnis autém illa hostilis multitudo, aut praelio occubuit, aut viva in Polonorum manus venit, paucis qui in itinera magis abdita ex communi cursu diverterant, salvatis. (Tanta autem Rutenorum caedes tunc edita fertur fuisse, ut fluvius occissorum inebriatus sangvine fluorem suum per certa spatia rubrum perduxerit, et Ruteni ex regionibus longinquis ad reperienda suorum charorum corpora, in certaminis locum advenientes, planiciem universam stratam multitudine funerum videntes, crebras congeries eorum contemplati a quaerendis iis, quos sepeliendos advenerant difficultate quaesitionis arcerbantur), capta aliqua signa militaria, impedimenta fere cuncta cum sarcinis militum, et equorum complura millia comprehensa, et in deditionem accepta.

Memorabili clade et praelio confecto, et caede, quam maxima in Rutenis et caeteris qui illis auxilia tulerant Boleslaus Polonurum Rex edita, in Poloniam non

jam solum cum praedis et Rutenorum spoliis, sed cum captivorum cuneis feliciter regrediebatur. Cui per loca transitum facienti, processionis et exceptionis omnium ordinum, velut glorioso Athletae, et victori honor exhibebatur.

A. D. 1010. Superiore anno clade apud fluvium Bug Jaroslaus Russiae Dux accepta, anno in sequenti congerit contra Svantopelkonem Russiae Ducem novum ex propriis et auxiliaris exercitum, et vadit contra Kiow. Cui Svantopelkus occurens in loco, in quo jussu ejus Borys occisus fuerat, inito certamine vincitur, et succumbit. Et non audens ad Boleslaum Polonorum Regem pro sui solatio recurrere, ad Pieczynigos divertit; et contractis celerrime copiis revertitur Svantopelkus Russiam in fortitudine magna: et occurrit illi Jaroslaus Dux cum exercitu suo, et positis stativis circa Olham fluvium, in loco, ubi a Svantopelkone occisus erat Borysz, in alterius diei adventum certamen differunt. Quo adveniente (erat autem dies veneris) sole oriente congrediuntur: et praevalet Jaroslaus et exercitus ejus, et Svantopelkus fuit victus, et venit in Brzeście, quod a Boleslao Poloniae Rege, et suo praefecto, atque

praesidio tenebatur. Exinde vero clementiae Boleslai Regis plurimum fidens Poloniam procedebat, nova auxilia ad restituendas suas chlamitates a Boleslao Polonorum Rege petiturus: sed in itinere repentino langvore correptus moritur, et a comitibus suis in loco deserto et ignoto sepelitur.

Post cujus mortem Jaroslaus Dux pacificum apud Kioviam tenuit principatum, et inter Russiae Duces praestantior habebatur, Boleslaum Polonorum Regem super castris Russiae, quae in potestatem suam receperat, nullo pacto potentiam suam pertimescens, audens quomodolibet impetere vel molestare.

Possedit autem Boleslaus Polonorum Rex et successores sui Castra, Oppida, et fortalicia tunc sub Rutenis conquisita, et ea per praefectos suos Capitaneos administravit, magnamque terrarum Russiae portionem tunc armis quaesitam, prope Kiow se protendentem, in suam ditionem, et Regni sui Poloniae perpetuam potestatem subegit.

Anno Domini 1012. Rutenico bello Boleslaus Poloniae Rex perfunctus, ad

alia bella obeunda, ne animi militum ex quiete hebetarentur, animum convertit, indomitisque usque ad id tempus Saxonibus bellum infert. Acturus autem in Saxones expeditionem, omnes copias ex singulis terris Urbibusque Regni sui dudum, et in primordio Regni sui per illum delectu habito ordinatas et conscriptas, convenire jussit, (habebat siquidem unaquaeque Urbs capitalis Regni sui designatum numerum, quot videlicet, et quantos milites in bellum generale missura foret, propter quod facile poterat Rex virium suarum aestimata potentia, aut bellun repellere, aut inferre).

Collecto itaque exercitu numeroso Saxoniam ingressus, Saxones sibi occursuros, et certamen secum praesumebat odituros, eoque respectu et milites ire in ordine, et a signis nunquam discedere jubet. Postquam autem ab exploratoribus certior factus est, nihil contra se hostile geri, et Saxones pōtentiam suam veritos, aut in nemorum et silvarum lustra, locaque invia, se et pecus, omnemqne supellectilem abdidisse: aut in Castris munitionibusque fortioribus, caeteris debilioribus concrematis, ne hostibus praesidio essent, se continere,

Milites in agros, oppida, et villas se dedere, et populationem late longeque extendere, quo amplior terror hostibus accederet jussit.

Omnem autem Saxonicam oram, usque ad flumen Albam, quod et Labia dicitur perambulans, vastansque et consumens universa, nullam expertus resistentiam humiliatis Saxonibus regrediebatur. Cum autem ad fluvium Sola, alias Solava, qui Saxoniam medius interfluit, pervenisset, columnas ferreas in rippa-fluminis illius figens, terminos, gadesque Regni sui Poloniae posuit, Poloniam a terris Almanorum locatione hujusmodi ferrearum columnarum disterminavit, quatenus et titulum victoriarum, triumphorumque pacifici, et fines Polonicalium Regionum testarentur.

A. D. 1013. Domitis humiliatisque Saxonibus, Boleslaus Polonorum Rex turpe sibi, suoque nomini ratus, si singulae Regiones olim a Polonis possessae et populatae a quoquam alio, quam a se possiderentur, revocat in animum Regiones ad mare Septemtrionale sitas, Pomeraniam quoque inferiorem Kassubiensem, et caeteros transmarinos tractus, (quos

etiam nunc incolunt): propter suorum Principum indignam necem, per Popel tunc Polonicalium Regionum Monarcham a muribus corrosum, procuratam diuturno jam tempore a corpore Regni Polonici, et ejus obedientia alienatas abstractasque fuisse. Propter quod exercituum suorum potentiam in oras illas deducens, quasdam ferro et expugnatione, quasdam benevolentia et liberalitate, caeteras metu et aliarum exemplo in suam redigit potentiam.

Principabantur etenim tunc in illis XX. Principum a Popel extinctorum Nepotes, quos Beleslaus Rex de sangvine Regio sciens creatos, et illos sibi consobrinos esse, innata tractavit munificentia, et singulis liberalitatis suae dona tribuens, nihil sibi de illorum Principatibus et Regionibus preter feudalem obedientiam et subjectionem reservavit: rem non contemnendae honestatis ponderisque existimans, si Regnum suum Poloniae, et suam integritatem resumeret, et frequentiam tot principum haberet feudalium et subjectorum.

Miecislaum filium suum Boleslaus Rex, et virginem Rixam nepotem Imperatoris Ottonis eidem dudum desponsatam, videns ad annos nubiles pervenisse, so-

lenni curia apud Gnesnam indicta, vicinis Principibus, Proceribus et Satrapis primisque Poloniae congregatis et accersitis, nuptias suo filio unico praefato Miecislao celebrat, et Virginem Rixam illi conjungit, quae hactenus in Regia a Matre Miecislai Judita, juxta ac filia, materna charitate fovebatur.

A. D. 1015. Vicinis Regionibus, quas ab origine Poloni et Slavi populi populaverunt, in suam ditionem et in unum Regni Poloniae corpus, unamque Monarchiam per Boleslaum Poloniae Regem victoriose redactis, rebantur se Polonorum milites de caetero ab armis et militia quieturos, verum Boleslai Regis pectus laudis et gloriae avidum, quietisque impatiens, novum bellum orditur; et in Prutenorum gentem ad eam diem intactam bello, expeditionem indicit. Omnes autem veteranos milites in hujusmodi bellum armat, sed et magnum tironum numerum ex universo Regno suo, et Provinciis eidem subiectis conscribit: collectoque potenti et ordinato exercitu, versus Prutenorum regionem procedit, illamque per terram Regni sui Culmensem ingreditur.

Est autem Prutenorum terra, ut in superioribus narravimus, ad Septemtrionem sita, quam fluvii Wisła et Ossa a Provinciis Regni Poloniae disterminant. Oceano etiam mari in plerisque locis confrontata, duobus fluminibus Wisła videlicet et Memel: (quorum alter ex Polonia, alter ex Russia manat) insignis, in octo Regiones distincta: quarum una vocatur Pogęza, altera Nauctaga, tertia Sama, quarta Nadrowąsz, quinta Solava, sexta Sudova, septima Galinda, octava Barta; et quidem pro ea tempestate pauca habebat Oppida, et haec ipsa tantummodo naturali situ, aquis videlicet et paludibus, circumsepta, Castrorum insuper omnis erat ligno fabrica.

Bolesłaus Poloniae Rex facile oppida Prussiae et nonnulla Castra, in quibus Barbari se abdiderant, conquirit et Romanam, sedem Prutenicam principalem; item Balgam, Radzin facta oppugnatione capit, captasque jubet aut dirui, aut incendi. Prutenorum autem Primores videntes suis viribus contra Boleslai Regis Poloniae potentiam niti non posse, caduceatoribus missis, parci patriae, quae tota spoliis incendiis flagrabat, petunt, se quoque deditionem

facturos, et tributum pensuros, ac in potestate Regis futuros repromittunt. Boleslaus autem Rex, ut erat animi ad compatiendum calamitati afflictorum proni, petitioni eorum annuens, et praecipuos Prutenorum ad se venientes, comiter pertractans, deditionem eorum suscepit, tributumque singulis annis fisco Regio pendendum imposuit, agrumque Prutenicum vastari prohibuit.

Tunc primum Prussia in Provinciae formam redacta, et armis Boleslai Regis subacta, Regno Poloniae cepit esse subjecta et tributaria. Posuit et tunc Boleslaus Rex Regni sui Poloniae in fluvio Ossa, qui Prussiam, Poloniamque disterminavit, perpetuas gades, ferream videlicet columnam in fluminis medio, quartale miliaris ab Oppido Rogoźno, inter Leszyn et Rogozno, unde et villa ad gades hujusmodi sita Słup a columna vocabatur.

A. D. 1016. Silentibus bellis externis, et hostibus in circuitu Regni Poloniae armis, et aequis conditionibus summotis, Boleslaus Polonorum Rex ad res Urbanas et domesticas Regni sui bene gerendas, animum intendit. Omnis autem prae-

praecipue sua cura in causis pauperum, et viduarum audiendis promovendis, expediendisque (si compositio sequi non poterat) per judicia versabat: quibus intentus adeo erat, ut solus et per se, ne fraus in administranda justicia, aut dilatio, committeretur, in illis praesideret. Quamvis autem tunc rariores extarent injuriae oppressiones et querelae, quippe metus, fines omnes superiores juxta ac inferiores, in aequitate et observantia legum continebat: non patiebatur tamen Boleslaus Poloniae Rex ad audiendas tam majores, quam minores causas solos praesidere judices, sed illis, aut solus praesidere solitus erat, aut si illum aliorum negotiorum Regni sui avertebat cura et expeditio, in locum suum viros integros timoratos et justitiae zelatores surrogabat, qui summopere cavebant providebantque, ne eorum decisio sententiaque ab aequitate et justicia abhorreret, cum prudentissima sanctione Boleslai Regis scirent eum, si qua partium quereretur se gravatam esse, processum universum examinaturum, et quod preter aequitatem, aut contra leges pronunciatum fuisset, non sine eorum reprehensione retracturum esse.

Omnibus insuper viduis, pupillis, orphanis et rusticanae tenuis sortis hominibus, praesentiam suam cum querelis adeuntibus, Prolocutores, Syndicos, et procuratores, ex fisco suo Regio salariatos deputabat, rigide mandans et providens, ut cum solerti scrupulosaque diligentia ad curandas promovendasque viduarum, orphanorum, et pauperum causas essent intenti. Interim autem cum causam hujusmodi coram se, aut Judicibus suis tractari contingebat, tam actori, quam reo, et cujuslibet conditionis homini mensam suam Regiam patere voluit, et unicuique juxta qualitatem personae liberaliter victum ministrare. Qua quidem justiciae victusque administratione singulos, divites videlicet juxta ac pauperes adeo demeruerat, ut paterno ab omnibus magis quam Regio coleretur affectu, et virtutum suarum praeconia, late longeque manarent.

A. D. 1017. Exiguam et semiplenam virtutem, justiciam Boleslaus Rex Poloniae sine misericordiae comitatu judicans, tanto moderamine inter justum severumque judicem, et misericordem Principem se partitus est, ut damnati,

damnandique, et rigorem ejus jutsitiae extimescerent, et clementiam ejus crebro experti, de salute sua bene sperarent. Et quamvis Rex ipse in singulos misericordiae visceribus defluens, reis legumque praevaricatoribus se facilem et liberalem praestaret, legitima tamen consors sua Judita Regina, spectatae virtutis faemina, clementiam Regis efficiebat sagacitate industriaque muliebri magis celebrem et illustrem. Ut utriusque opera notiora forent, unum quod illo tempore gestum manavit, ad posteros memoriae suae causa subiiciamus.

Nobilium nonnulli filii a patrum institutis moribusque degenerantes, dum facultatibus propriis lascivius, quam sat erat, uterentur, in paupertatis sortem fuere delapsi, quam cum moleste ferrent priorem fortunam resumpturi, ad spolia rapinasque intendunt animum. Verum dum facinus eorum reiteratione aliquanta proditum, vulgatumque fuisset, jussu Regis capti, et sceleris praedationum facile-convicti, sententia Regis, et consiliariorum capitalem paenam excepturi neci, addicerentur.

Quorum immaturae morti, et viridi aetati prudentissima Regina compatiens,

Rege nec quidquam petito, persuaso, aut consulto, in secreto abditoque loco, paucis consciis, asservari illos jubet, oportuno tempore vitam illis restitutura.

Dum autem juxta morem Boleslaus Rex cum Consiliariis super Reipublicae negotiis, Regina forte praesente, sermonem diutius protraxisset, damnatorum praedonum ab eo Nobilium filiorum, et quos credebat dudum extinctos, mentio incidit, subeunteque paenitentia animum Regis, cepit Rex crebra ingeminatione verborum pro desideratis affligi, asserens, „dolori non parvo sibi esse, quod tam insignes, et ingenuos adolescentes, ad obeunda belli munera aptos, et qui patriae ornamento potuissent esse, capitali sententia damnasset, et facinus patratum adolescentiae fragilitatique eorum non tribuisset, praesertim cum eorum damnatio caeteris superstitibus de eorum domo et familia cessisset in ignominiam, et sugillationem: de postremo subintullisset se, non solum damna passis singula resarciturum, sed et largam amplamque donationem se praestiturum, si juvenes hujusmodi mulcta capitali et infelici cruore non damnasset„

Tum Judita Regina propositum animi exequutura sciscitatur a Rege. „ Quantum „ inquit esset tibi gaudium, et qua id „ apponderares statera, si quis caelico- „ larum suo suffragio et merito reprae- „ sentaret illos tibi vivficatos„ Ad quam Rex: „ Quamvis, inquit, id impossibile „ reor fieri, tamen si Divinitas, cui haec, „ et ampliora licent, quod suggeris, con- „ cederet, nihil tam charum tamque „ preciosum possidere me declaro, quod „ pro vivificatione occisor funeratis non „ largirer, ut non tam necati viverent, „ quam genus eorum injusta ex eorum „ damnatione infamia careret.„

Incensum ad misericordiam pectus Regium quaestione Regia, et ad parcendum proclive Regina intelligens, Tribunali Regio, cum Baronibus, et Consiliariis universis veniam damnatis deprecatura prosternitur, dirigitque ad Regem plurimum admirantem, et quidnam post effusos sermones rogatura esset, haesitantem, verba. „ Nihil inquit, Cle- „ mentissime Rex ad reddendam vitam „ damnatis caelesti opus est praesidio, „ tu ipse calamitosis damnatisque cle- „ mentia tua Regia eam praestare potes. „ Ex media autem morte raptos, et in

„ hanc diem juxta pronunciationis tuae
„ decretum ne cervices eorum plecteren-
„ tur, servatos occuluisse me profiteor,
„ facinusque meum non temeritate aliqua,
„ sed muliebri compassione admissum,
„ primum mihi ignosci, deinde vitam
„ damnatis donari supplex cum his om-
„ nibus, qui mecum una provolvuntur,
„ scabello tuo deposco. Eo etenim respe-
„ ctu id factum egi, ut haberes, quibus
„ parceres, et quos post damnationem
„ et mortem, quasi ex quodam Ache-
„ ronte, in vitam, non sine clementiae
„ tuae admirandae divulgatione revo-
„ cares. „

Boleslaus autem Rex supra modum exhilaratus, et in admirationem quandam versus ex Throno desiliens, Reginam ex humo elevat, et in ejus ruens amplexus, pietatis furtum per eam sagaci dolo commissum, multipliciter extollit, et commendat. Cunctis autem, qui aderant, hujusce rei novitate in stuporem conversis, certatim Reginam de pietate, sagacitate, probitate, et industria laudantibus, Rex juvenes neci addictos, parum verbis Reginae fidens, jubet sibi celeriter praesentari. Ex locis autem, in quibus conditi erant adducti, primum Reginae per

psam verbali correptione admoniti, praesentantur, quae demum illos, velut vitae eorum conservatrix ad conspectum Regium perducens, ignosci illis, et ipsorum transgressiones aboleri supplicat.

Boleslaus autem, qui jam pridem ad ignoscendum se pronum obtulerat, et qui non fuit ad delicti vindictam proclivis, conjugis precibus expugnatus, exorabilem se continuo praestitit ad indulgentiam, paenamque, cui ex demeritis fuerant obnoxii, illis remisit, (non erat enim apud Boleslaum Regem labor iste difficilis, ut ignosceret supplicanti) verba primum ad illos facit „ quod, No„ bilitatis suae obliti, pluribus sceleri„ bus genus suum faedassent, et claris „ imaginibus suorum praedecessorum, „ quos nomine et virtute extollebat, ma„ gnam caliginem suis operibus obduxis„ sent„ et hos, qui aetate provectiori erant, asperioribus verbis mulctans, juniores vero in balneum deductos, et in sui praesentia virgis leviter caesos, tandem, culpa relaxata, vestibus novis indutos, quo honoratiores essent, in aedes proprias absque labe decaetero victuros remisit: per expressum interminans illis „ ne se ullo modo post haec placari pos-

„ se, si eos in eadèm, vel paria crimina „ recidere contigisset.„

His et pluribus aliis munificentiis, pietatis suae operibus clementiam suam longe lateque diffundens, plus amore quam metu quosque suos subditos in justicia et aequitate, legumque, et legitimorum institutorum observatione, continebat: concise et breviter objurgans, blande ac cum miseratione admonens.

Quemadmodum autem Abigail eloquentia ab irascentis Davidis gladio servavit virum suum illaesum, sic et hujus Reginae prudens industria, et nobilium filiis, ne interirent, providit: et Rex Boleslaus Consortem suam pluribus reddidit admirandam et gloriosam: et qui per libram et examen justiciae plectendi et damnandi ultimo supplicio fuerant addicti, clementia Boleslai Regis, ad preces et intercessiones Juditae Reginae facti fuissent. justi.

A. D. 1018. Rutenorum Princeps Jaroslaus, moleste ferens terrae suae et Metropolis Civitatis Kioviensis, vastationem expugnationemque superioribus annis per Boleslaum Poloniae Regem fa-

Non angusto rursus tempore Boleslaus russiam, Ruthenus poloniam ingredi gestiunt, et interjectu cujusdam fluminis qui regna limitabat castra ex opposito metantur.

Cum barbarus ille non tam dispecta quam despecta Polonorum paucitate, recensita suorum numerositate quodam excellentiæ fastu super se rapitur, neminem præ se hominem ducit et inanis captiosus gloriolæ Glorioso mandat Boleslao
" Aper seclusus est ab indagine: sus in volutabro
" deprehensa cassibus involvitur, quam necesse
" est nostrorum exercitamina catulorum experiri
" et luctuosum de se præbere spectaculum."

Cui Ille. " Vir vanus, inquit, in superbiam
" erigitur, et quasi pullum Onagri se liberum

natum

= natum putat: me aprum me suem vocat: nec
= fallitur? hic namque singularis ferus forsitan
= illum depascet. Sus ista robustorum fecundis=
= sima /: Divino utinam opitulamine:/ sic illos
= canes exerceat ut eorum sanguine debrietur!
= Sed armis puto dimicandum non verbis.

Interea utriusque partis clientuli se mutuis provocant contumeliis, vicariis lacessunt injuriis; cum Polonorum latrunculi castra hostium irrumpunt, quorum quosdam obruunt, quosdam dif= fugio impellunt. Qua re cognita Boleslaus acies ordinat, castra movet, classicum jubet instrepi clangorem, hostes insectantur, de omnibus triumphat, nam et Rex cum primis Procerum capti canum instar copulae innexi protrahuntur. non injuria! utpote quos suus Princeps catulos nuncuparat: quod tamen egregius victor egre tulit. miserum inquit est mi=

seris

" seris insultare! quia nihil tibi fortuna de
" alio permittitur quod alii de te permittere
" non possint.

Jam secundis vero . . .

/vide infra pag 86./

ctam, se quoque, et exercitum suum ad fluvium Bug grandi strage profligatum, et humiliatum dolens, et latens, tacitum coquebat bellum, tam proprios milites armans, quam alios finitimos conducens; oportuno tempore, illud Boleslao Poloniae Regi ad detergendam cladis suae ignominiam, apud fluvium Bug acceptam illaturus.

Boleslaus autem, etsi jam pridem de hostili in se Ducis Rutenorum animo, a Praesidibus Capitaneisque suis, et ab exploratoribus illuc missis certus erat, aliquanto tamen tempore ab armis se continuit, Ducis Rutenorum animum existimans posse et tempore, et sua patientia sanari. Postquam vero, cognovit Rutenorum Principem ad invadendum Regnum suum Poloniae arma induisse, et cum forti exercitu Regno suo quotidianis stativis, propinquiorem fore, copias et ipse suas, quas in eventum hostilis, et futuri belli tenebat paratas, movet, celerique passu in Russiam contendit, inferendum sibi a Duce Rutenorum, bellum repulsurus.

Itaque sub uno eodemque tempore, et Polonus Russiam et Rutenus Polo-

niam, adeo propere latenterque ingrediuntur, ut alteri ignotus esset, alterius ingressus et invasio: ad ripam tamen fluminis Bug e regione sitam uterque consedit, et castris positis, alter alterius adventum cognoscens, de futuro certaminé in crastinum ineundo consulebat: et Boleslaum quidem Regem, sacratus Dominicus dies crastinus a pugna detinebat. Nolebat enim ob illius celebritatem praelium eo die committere, unde et milites in castris detinuit, et ne quid eo hostile gereretur, interdixit. Verum prohibitionis ejus exiguae rei eventus et occasio, ut plerumque in bello accidit, ordinem violavit.

Media siquidem die desuper fervente sole, et milite quiescente, familiares Polonorum ad ripam fluminis, aut equos balneantes potantesque aut occisorum pecorum carnes abluentes, primum verbis, deinde missilibus cum hostili exercitu in alta ripa stante, et illos provocante se lacessunt. Temporis vero processu adeo crevit inter contendentes pugna, ut clamore ab utriusque sublato, uterque exercitus ad arma se concitus moveret.

Boleslai itaque Regis exercitus universus armis celerrime correptis, equisque conscensis, universa acie in praelium descendebat. Et quoniam hostes propter fluminis interiectionem, nisi eo vadato adiri non poterant, periculo quod illis et ab hoste, et a flumine imminebat nec quicquam attento, ut erant armati, flumen ingrediuntur, quo divinitate adjuvante superato, in hostes nondum plene armatos, neque sub ordinibus consistentes, sub vario pavore hinc illincque vagantes (subitus enim eos, visis Polonorum aciebus pervaserat pavor), irruunt, et primas acies eorum facile disrumpunt obtruncant et prosternunt. Suorum autem strage ad Rutenos delata, Dux ipse Rutenorum, ne vivus in Polonorum manus veniret, a suis fugam capessere compellitur: quo ex praelio discedente, reliquo agmini altior metus est injectus, propter quod non praelio, sed fugae intendentes, Polonis victoriam concedunt. Mandante autem Boleslao Rege, miles suus Rutenos in aliquod milliaria sequutus, plures autem vivos cepit, quam gladio extinxit. Dux autem Rutenorum et multitudo magna fuga evasit; castris Rutenicis, et spoliis innumeris Poloni potiti, Rege Boleslao concedente ea diripiunt.

Tandem Boleslaus Poloniae Rex cum signis victorialibus, et infestis ad interiora Russiae procedens, insigniora Russiae loca, ferro, igne et vastatione perdomuit, pluraque castra Russiae, aut expugnat, aut deditione capit. Tantoque discrimine Rutenos tunc humiliavit et afflixit ut et pacem petere a Boleslao Rege, et intra parietes se continere, diffisi de armis cogerentur.

Boleslaus autem momorabili victoria potitus, pecore plurimo ex hostili terra abacto, aliisque spoliis onustus, in Regnum Poloniae reversus, cum magna laeticia excipitur, et honores illi triumphales a singulis Statibus et Ordinibus impenduntur.

A. D. 1019. Insigni famosaque victoria, Boleslaus Polonorum Rex ex Rutenis allata, non in aliquam insolentiam aut Pompam, ut natura qualitasque victoriae suggerebat, prolapsus est, sed solitum humilitatis et modestiae gradum observans, cunctis se exhibebat, et rectus ad audiendum, et in reddenda justicia impendendaque largitione gratiosum, et benignum, sed et erga Rutenos victos tunc et captivos, patrem se magis, quam

victorem egit. Nam et Rutenorum Principi per plurimas legationes eum interpellando et pacem, modesto imposito tributo, restituit et singulos captivos liberaliter remisit. Qua quidem facilitate corda Rutenorum adeo promeruit, ut virtutem ejus, probitatemque efferendo, magnis celebrarent laudibus, et maximum illum Principem, nulli comparandum vocabulo linguagii sui Chrobri, (quod etiam illi in multas successiones suas fuit, et est perenne) nominarent. Ab eo insuper tempore Princeps Russiae, et populi ejus ea tempestate locupletes et numerosi, modestia, et virtute Boleslai Regis Poloniae, magis quam armis victi perseverabant in fide, et singula pacta cum Boleslao inita, accurata custodia explebant, neque audebant Boleslao superstite de bello innovando, et jugo superimposito abiiciendo quidquam moliri, universas suas artes, et conatus non dubitantes, Boleslaum Poloniae Regem praestanti virtute et animo compressurum.

Prohibiturus Boleslaus Poloniae Rex excursiones clandestinas a finitimis nationibus furum et praedonum in Regnum suum, plures arces in confinibus

Regni fabricat, easque valido praesidio militum firmat, victualiaque pro eorum sustentatione, plurimis villis in circuitu juxta cujuslibet villae conditionem et qualitatem, imponit annis singulis vehenda. Haec autem dacia a Polonis appellatur Stroża, quod militibus Regni fines ab hostibus custodiendis solvebatur. Decrevit etiam plerasque villas, colonisque earum et rusticis id officium demandavit, ut noctibus singulis excubias nocturnas per vices facerent, et voce sonora, atque cantu fideles excubias se facere declararent. Qua equidem provisione ab eo prudenti consilio instituta, a successoribus vero suis parum prudenter abolita, effecerat, ut Regni Poloniae fines et termini militibus, qui illos observabant, egregie tuentibus nunquam possent impune ab hostibus invadi.

Arcibus et Castris in confiniis Dominii sui positis, et hostilibus terris confrontatis provisurus, qua ratione consisterent diuturna, et victualium necessariis, ad singulos emergentes casus essent provisa, plerisque vicibus deliberabat. Ordinaverat siquidem praefatus Boleslaus Rex plura in confiniis Castra Arces et munitiones, illisque exercitato-

rum militum praesidia imposuerat, qui summo studio summaque ratione, districte id mandante Rege, curas intenderent, ne hostes clam vel publice imperium Regni sui grassarentur: nec militibus fidens, frequentibus vicibus Castra hujusmodi obibat, illicque aliquantum temporis assumebat, satius judicans, quamvis parvo et castigato contentum victu pro subditorum suorum tranquillitate tenere excubias, quam delicatis epulis immersum dissolvi per dissidia, et praebere hosti occasionem ad invasionem. Consiliariis itaque suis probantibus generalem tunc edidit sanctionem, ut quilibet colonus seu Kmetho mansum integrum colens, unam siliginis, alteram avenae mensuras de purgato grano absque cunctatione persolvat, et in propinquiora Regalia horrea deducat, in usum, vestitum videlicet et victum militum eorum, qui Castra commetanea administrabant, et pro pace Regni totius militabant, convertendas.

Solutio autem ipsa cum omni alacritate ab incolis rusticisque excepta est, et in multa tempora extunc derivata ab effectu impositionis suae etiam in hanc diem Stroža, quod significat custodiam,

quoniam in Regni et Castrorum cedebat custodiam, et per effectum est sortita.

B. D. 1022. Catholicae Religionis fidem cultumque Sathanae invidia et malignitas in Regno poloniae, et Regionibus vicinis videns in brevi temporis spatio (primum quidem sub Miecislao Duce, deinde sub filio ejus Boleslao primo Polonorum Rege) vehementer germinasse, et funiculos tentorii sui latissima propagina diffudisse, turbinem et procellam in Regno eodem excivit, et res fidei extinguere, et quietem stabilitatemque visa est perturbare. Nonnulli siquidem Nobiles Poloniae, Sathana suggerente, onerosam decimarum manipularium solutionem, onerosos Christianae religionis ritus ducentes (hi praesertim, qui in spurcitiis gentilitatis enutriti, jugum Orthodoxum non facile tolerabant), ad ritus redire prophanos, et vetustam sacrilegamque vitam resumere, et decimas tempore instituto non reddere, nec Ecclesias frequentare, ministrosque et Sacerdotes de eorum Ecclesiis pellere, frequenti conspiratione disponebant. Id cum ad Boleslai Poloniae noticiam perductum esset, non tulit fidelissimus Catholicae fidei propagator gliscentem conspi-

spirationem consurgere, sed in ipso suo ortu illam mox extinxit: authores enim illius missis militibus comprehendit, et capita conspirationis partim capitali supplicio extinxit, partim verberibus mulctavit, caeteris minus reis, et sola contagione faedatis, aliorum suasionem sequutis parcendum decrevit.

A. D. 1024. Cum annis prope sexaginta, Boleslaus Poloniae Rex in assiduis occupationibus et curis tempus consumasset, saepe illi ab amicis suggestum fuit, ut tandem fesso corpori aliquantulum quietis daret, curarumque tam publicarum, quam privatarum molem in filium Ducem Miecislaum devolveret: sed dum id sibi nulla ratione persuaderi posset, animus enim ad omnia negotia obeunda vegetus et ferox, corpore saepe reluctante vincebat aetatem. Tunc tamen naturalem vigorem sibi professeus diminutum, administrationem Regni, et expeditionem querelarum et causarum, ad ejus audientiam ex omnibus Regionibus confluentium, filio suo Duci Miecislao mandavit. Generali quoque conventu apud Gnesnam habito, Ducem Miecislaum filium suum (probantibus, et gratificantibus Praelatis et Baronibus

Poloniae), sibi in Regnum successurum designavit.

Non enim magis praecipua, quam de Regni Poloniae sui stabilimento animo suo insederat cura, quod et Regni gloria, et divitiarum abundantia, et finitimarum nationum subactione, variis quoque triumphis, disciplina militari, et domesticis institutis adeo nobilitavit, effecitque splendidum et illustre, ut omnem splendorem, omnem ornatum, famam et gloriam, omnem denique Reipublicae statum, disciplinam, et ordinem ipse primus Polonorum genti, quasi quandam animam vivificantem infuderit.

Ipse quidem terminis, quos a Patre et proavis atavisque susceperat, parum contentus, Bohemiam, Moraviam, Russiam, bello subactas et oppressas, et caede multiplici, excaecationeque Boleslai Ducis Bohemiae, caeteraque strage sangvinaria, humiliatas Poloniae adiecit, fecitque sibi et Polonis tributarias et subjugales. Eaque heroica et summa animi virtute resplenduit, ut inter Polonorum Reges, et Principes sibi succedentes, neminem hactenus constare satis potuit, ad suorum gestorum et virtutum arcem pertigisse, aut illum gloria bellicarum

domesticarumque rerum aequasse: obquam heroica nuncupatione dignus Chrobri id est vir altae et heroicae virtutis, cognomentum sortitus est.

Tam ad utramque fortunam comparatus natura et arte, ut nec fractus varietate temporum caderet, nec elatus fortuna intumesceret: qui sermones suos inter serium jocumque ita moderabatur, ut illius jocunditate nihil severius, nil severitate jucundius putaretur: magnanimus divitiarum contemptor, quas nemo sapiens concupivit, et plerique angusti animi sic amant Principes, ut eos honoris omnis et officii capiat oblivio.

Tantum denique amplitudinis gloria ejus in universo pervagatur orbe, ut quantus inter Princeps viros, tantus inter Principes emineret. De quo illud, quod de Nestore literis proditum est, merito dixerim. *Cujus ex lingua melle dultior fluebat oratio, ad masuetudinem, clementiam, misericordiam, bonitatemque se componens, pro omni tempore, quae longe stabilior atque gloriosior est, quam Regni aut divitiarum est haereditas.*

DE OBITU

BOLESLAI I.

REGIS POLONIAE.

Anno Domini 1025. Gravibus continuisque laboribus, quibus Boleslaus Poloniae Rex, et in inferendis, et in repellendis bellis, et in rerum publicarum administratione, atque in domesticis institutis et ordinationibus occupabatur, (nam sine ullis induciis agebat vitam), consenescens et viribus corporalibus sensim decidens, gravem et adversam valetudinem incurrit, quae illum mensibus aliquot vexatione assidua torquebat, medicinis, quae adhibebantur nullum afferentibus profectum. Invalescente itaque morbo, primum prudentissimus Rex (confessione criminum suorum aliquoties repetita) Praelatos et Barones Poloniae accersit, quibus in Castrum Posnaniense ad eum convenientibus, illic enim eum invaserat aegritudo, cepit plures de conservando stabiliendoque Regno Poloniae cum illis conferre sermones, contestans, et

per beneficia quae Regno et illis praestiterat, et per coronam, quam sua virtute et sudore quesiverat et dilataverat, obligans illos atque rogans „ quatenus „ morte sua sequuta, servarent con- „ cordiam unionem et charitatem, et „ ad filium suum, quem in spem suc- „ cessionis universi Regni Poloniae, „ unicum relinquebat Miecislaum Du- „ cem, Nepotemque parvulum ab eo- „ dem Miecislao ex Rikscha genitum „ nomine Cazimirum, omnem conver- „ terent favorem et respectum, et illum „ in Regem assumentes, Regio Diade- „ mate insignirent.„ Filio quoque Duci Miecislao tunc praesenti, et ad grabatum cum Consorte, et infante Cazimiro assistenti, longo sermone serio praecipiens, „ ut virtutum suarum emulator existens, „ Divina in primo et praecipuo retinens „ cultu, Consiliarios in honore, caeteros „ subditos in justicia et aequitate conti- „ neret; voluptates autem molliciemque „ quam maxime fugeret, et in armis „ tractandis occupatus, heroicum quo- „ que virum se exhiberet, asserens na- „ tiones finitimas a se armis subactas; „ nisi potentia et armis in fide conti- „ neantur, facile jugum detrectaturas, „ et nervo subjectionis et obedientiae,

„ quo hactenus tenebantur, abjecto, rebellaturas. „

Excepta autem sunt ab utrisque cum omni mansvetudine hujuscemodi mandata. Pollicetur inprimis Dux Miecislaus se virtutum paternarum sectaorem, et operum adjutorem, ne qua occasione sibi, Regnoque Poloniae, segniter se gerendo nebulas offundat. Pollicentur deinde Praelati et Barones concordiam se servaturos, et prolem suam, ac posteritatem omnem in Regis honore, atque dignitate habituros: spe optima pleni, quod in Duce Miecislao, quem Diademate Regio ornaturos se ultro compromittebant, et sua vigere instituta, et relucere debere virtus, et imago ejus.

Ordinatione insuper Regni Poloniae expedita, rursus Boleslaus Poloniae Rex animum urgente valetudine intendit, et quonam pacto continui sui milites, et familiares praemiari debeant, de nonnullis quoque aliis privatis rebus Duci Miecislao filio mandata, voce jam labente edidit.

Hinc vero Consiliariorum et militum turba in aedem, qua decumbebat admissa, charitate, qua illi juxta ac parenti

afficiebatur, permoti, movere Regem, atque ab eo doceri vehementer expetiit, quibus honoribus, et qua pompa, quove ordine, quantis insuper diebus, quantoque tempore funus suum essent persequuturi, et tetra ac mutata veste, lugubrique habitu excessum suum deplancturi.

Tum ille in uberes lachrimas resolutus, non de sepulturae qualitate, sed statu patriae, cujus etiam tunc charitate flagrabat, solicitus. „ Nil inquit, aut „ parum interest mandare mihi, aut „ eloqui, qua gloria, quave dignatione „ a vobis post fata debeam funeris offi- „ cio efferri: sed neque vestrum super „ morte mea maerorem finito tempore „ fas judico, quemadmodum vestra ha- „ bet supplicatio circumscribi: neque „ enim adeo anguste et ignaviter me scio „ vixisse, ut operum meorum recordatio „ aliquando debeat apud vos quacunque „ limitatione concludi. Verum etsi a „ vobis ordine fatorum subtrahor, con- „ scientia tamen clarissimorum operum „ meorum a me editorum, et secundo „ favore rerum a me gestarum ea spe „ plenus decedo: ita me in vestris pe- „ ctoribus celebratum iri existimo, ut „ non a vobis tantummodo, et filiis

„ nepotibusque vestris, sed ab universa
„ gentis Poloniae posteritate, quocunque
„ aevo successura, coli mirarique de-
„ beam memoria sempiterna, et novis,
„ atque exquisitis, tum laudibus, tum
„ suffragiis a genere Polonico, in regi-
„ minis mei honorem apud caelestes, et
„ quoslibet mortales attoli. Noscitis qui-
„ dem me a puero formatum taliter, et
„ inspiratione divina, magis quam hu-
„ mana sic institutum fuisse, ut ad eri-
„ gendam, ornandam, locupletandam
„ patriam hanc, omnes vires, facultates,
„ et ingenia scrupulosa intentione, con-
„ verterim, ac pro ejus incremento nul-
„ lum laborem, nullumque periculum,
„ usque in diem hanc exhorruerim; pri-
„ musque meis partim moribus, partim
„ victoriis, Regiam illam dignitatem su-
„ blimare obtinuerim, ut nemo quan-
„ tumcunque iniquus eorum aestimator
„ dubitet me e majoribus meis virtute,
„ et bellica laude, domesticisque insti-
„ tutis adeo perluxisse, in patriam quo-
„ que tam frequentia ornamenta, tam
„ immortalia beneficia contulisse, ut
„ sim meae domus, posteris notae ex-
„ cellentiae et nobilitatis vertex, et Re-
„ giae stirpis prima et clarissima pro-
„ pago, patriae vero parens praecipuus,

„ suique splendoris autor primarius et „ origo.„

Post hos sermones dum Rex parum conticesceret, vox a Consiliaris Proceribusque et militibus Polonorum sublata, non patrem eum tantummodo patriae, sed et liberatorem, instauratorem, et alterum a Lechone conditorem, triumphatoremque pacificum succlamavit.

Dum in eis laudibus certatim immorarentur, et universa Regia blando murmure personaret, tandem Boleslaus Rex rupto silentio ait· „Mihi quidem in prae-
„ senti agone constituto, non quo loco
„ condar, quibusve officiis funeri meo
„ justa solvantur a vobis insidet soli-
„ citudo, quippe qui funebrias pompas,
„ per vos celebrandas, ne quicquam
„ mihi reor profuturas. Altior autem
„ nunc de vobis et vestra Republica di-
„ stinet me et singulari cruciatu conficit
„ cura. Video siquidem, et e longin-
„ quo (divinitate mentem meam inspi-
„ rante), contemplor Rempublicam Polo-
„ niae quam speciosam, adque florentem
„ relinquo, per seditiones, divisionesque
„ vestras civiles direptum et pessunda-
„ tum iri, quantumque cruoris dome-
„ sticis bellis Polonia fusura sit, quantis-

„ que caedibus me assumpto parentatura,
„ contemplor: jamque hostilium castro-
„ rum, et eorum quorum cervices vobis
„ subjugaveram fremitum in vos, et
„ patriam hanc grassantium exaudire
„ mihi videor: video et prolem prosa-
„ piamque Regiam meam hinc exulan-
„ tem hostibus, quos domaveram sup-
„ plicem fieri, et Monarchiam Regni
„ Poloniae in varia divisionum monstra
„ scindi, et horrenda bellorum civilium
„ invasione, collidi. Sola quoque haec do-
„ loris anxietas, etiamsi morbus non ur-
„ geret, animam esset exclusura, nisi
„ multitudine malorum imminentium
„ spes melior temperaret: miseratione
„ enim caelesti propitiaturum stirpi meæ
„ et vobis video Deum, proditurumque
„ ex lumbis meis suspicor, in clarissimi
„ syderis morem, unum qui pene lan-
„ guidam et exanguem Rempublicam Po-
„ lonicam, et terminos ejus a finitimis
„ occupatos restituet, qui instaurabit
„ dissoluta, qui superbiam humiliabit
„ hostilem, qui gladii mei capulo con-
„ teret subiicietque rursus eas, quae
„ contra vos recalcitraturae sunt natio-
„ nes, Regno Poloniae mirificum jubar,
„ pristinumque fulgorem suo ductu,
„ suisque virtutibus, auspiciis, et ope-
„ ribus infusurus. „

Ea voce, eaque denunciatione, rauco et debilitato jam sono laetas et adversas res Poloniae portendente edita, oculorum orbibus clausis, itaque mortuus est Boleslaus Rex Poloniae anno vitae suae 58. cum annos quinque et viginti in Regno exegisset: in cujus laudem et memoriam universa Polonici generis praesens et futura propago, aptissime illud Virgilianum assidua modulatione poterit tenebiturque, depromere,

Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt;

et illud Alexandrium
Si vitae meritis respondet gloriae fama.
Nulla tuos actus poterit delere vetustas.

Qui etsi mature decesserit, plus tamen luctus et desiderii, quam caeteri ante se Reges in Polonorum pectoribus reliquit, quanto vir magnanimis, et praesenti semper fortuna meliorem se exhibebat. Maeror deinde ingens, primum Episcopos, Comites, Barones, Nobiles, caetorosque suae mortis spectatores, expost vero vulgus promiscuum occupat, luctusque et lamentatio, non solum in Regia verum in universa Regionum vicinia continuati increbrescebat: sed et

coloni morte Regis vulgata rure relicto, et agricultura neglecta catervatim accurrebant, exanime corpus optimi Regis visuri, et suae ipsius in fine sortis sodalitatis officium sibi impensuri.

Confluxit tandem ad funeris pompam, tam Ecclesiasticorum, quam militum frequens numerus, et corpore Regio in aula stante, tristi maerentium militum, et matronarum lamentationes, et ejulatus emittentium frequentabatur officio. Expost vero in Ecclesiam Posnaniensem deductum, juxta magnificentiam Regalem a Duce Miecislao filio suo, per Praefectos Regios singula gubernatione dirigenteque, exequiis in dies aliquot prolatis, in medio templi conditum est, et funeri suo justissimus honor est persolutus.

Tantus autem dolor universis ordinibus, universisque populis super morte tam clarissimi Regis (futura mala, quae illos exceptura erant, ut reor jam tum ominantibus), suapte ingestus est, ut anno plusquam integro, quasi ex quodam edicto dies luctus singuli agerent: matres quoque familias, virgines omnem cultum abiicientes ornamenta solita negligebant: sunt item convivationes, ac

epulae abrogatae, nuptiarum solennitates, caetus nobilium, curiarumque celebrationes intermissae: nullus cantus, nullaque secularium jubilatio, non plausus in urbibus et villis, sed nec in agris audita sunt. Omnis siquidem sexus, omnis aetas, omnis conditio, super morte tam optimi Regis deplangenda, non se unquam parem illi autumans habiturum, videbantur pro certamine conspirasse: omnes siquidem tam ingenuos, quam rusticanos ex Boleslai morte magnus dolor pervaserat, non sicut assolent fictum ostendentes dolorem in principis funere, sed vario et fideli cuncti consumebantur, Regisque sui mortem propria acriorem judicabant. Adeo unumquemque ex Optimatibus, et inferioribus ejus mores, et colloquiorum suavitas demulserat! Extat autem carmen a veteribus scriptoribus in laudem Praefati Boleslai editum, quod nostro praesenti interseruimus operi, ut ex priscorum commendatione Regis praefati amplior reluceat amplitudo.

Neminem enim Principem aut Regem aetas illa habuit, qui diligentius, qui sincerius, qui sanctius quam Boleslaus a Polonis cultus extitisset: quod maxime fletus et maeror tam Procerum,

quam vulgi in funere honestando, et plagendo habitus demonstravit. Dolebant siquidem, quodam animi praesagio, jam futura ominantes, maximis incommodis ob ejus mortem, se non tam esse affectos, quam afficiendos. Deflebant quoque enim sibi subtractum fore Regem, qui cunctos suae aetatis mortales, liberalitate, industria, benevolentia, morum suavitate, humanitate, facilitate anteiret. Qui non solum rogatus miserorum, et calamitosorum, aut aliqua egestate gravatorum subveniebat inopiae, sed etiam ultro offerebat, quae pudor petere prohibebat.

Mores illius generosi et illustres, et gratiam redolentes: specie decorus, et forma non contemnendus, media siquidem pollebat corporis statura, barba copiosa et crispa, atra tamen, et suffultum habens caesariae caput. Publicis et privatis abstinendo expilationibus, benignum se per omne tempus praestitit Regem: in subditos modestus, in hospites officiosus; in calamitosos et delinquentes exoratu facilis; conversatione et vita nitidus atque pudicus: optimo temperamento inter pietatem et rationem usus, sub eodem tempore, quo desideria sentire cepit, oppressus.

Cujus ideo virtutes descripsisse succurrit, ut caeteris omnibus Regibus, et Principibus Poloniae futuris, virtutis exemplar, et imago reluceat: quem si caeteri, qui rerum summa potiuntur imitari vellent, meliori loco sese haberent, Polonorum res minoribus exagitarentur incommodis, instructiorem et magis cautum habituri animum in suis actionibus, Regis praefati exemplis firmati.

Cujus etiam ope et opera Poloni homines quondam barbari, ex agresti feraque vita in urbanum civilemque cultum deducti sunt, et in mores conciliati civiles et nobiles.

Quae cum ita sint, quis eum Regem non probet? non admiretur? non tollat in coelum summis laudibus? quem intelligit tot immortalia beneficia populo et Regno Poloniae contulisse.

DE GESTIS

MIECISLAI II.

REGIS POLONIAE.

Corpore Regio cum debito honore Ecclesiasticae sepulturae mandato, Praelatorum, Comitum, et Baronum, Nobilitumque Poloniae in Posnaniensem Civitatem maximus habitus est conventus, ad providendum de futuro Rege Poloniae in Boleslai locum successuro. Conformis autem tunc frequentis Senatus juxta ac multitudinis erat sententia, ut patri optimo filius Miecislaus Dux succederet, cum et per patrem futurus Rex designatus foret, ptopter paternam probitatem virtutes et merita, affinitatem insuper, quam ex parte uxoris suae Rikschae cum Principibus Almaniae et imperio retinebat, nulli aeque, ut sibi successio, et

solium

M. Cr. Jam secundis vero Boleslai successi=
bus filius ejus Mesco II non tam secundo
successit auspicio. Quia enim paterna volu=
it esse contentus gloria (: quam nec augere
quidem nec dum transcendere quis poterat:) nec
civibus tam gloriosus, nec hostibus adeo visus
est terribilis: nam si quae cum quibuspiam
gessit praelia, necessitatis ea fuisse constat
non virtutis, coacta non voluntaria: non quia
ulla Illi strenuitas, sed quia diligentior con=
servandi ratio quam acquirendi inerat libido.
" satis enim absurdum putabat " cum in ha=
=do certus haberi modus debeat acquisitioni
= modum non ponere, tamen et si quid nullius
in bonis

a, Epistola XV. Mathaei E. Cr.

in bonis est occupanti concedat, ab omni tamen jure aliena est occupatio alieni &

Hic igitur ex imperiali —

/: vide pag 96:/

solium Regni Poloniae debebatur. Publico itaque decreto, de coronando Miecislao Duce concorditer confecto, dies Dominica Pentecostes ad coronandum illum est indicta.

Qua adveniente ad Metropolim Gnesnensem Princeps Miecislaus cum magna militum cohorte advenit, et in Ecclesia Gnesnensi die praefata Pentecostes, ipse quidem Dux Miecislaus in Regem, Consors vero ipsius Ducissa Rikscha filia Comitis Palatini Rheni, et Neptis Tertii Ottonis Imperatoris, in Reginam Poloniae per Hippolitum tunc Archiepiscopum Gnesnensem, asistentibus sibi Ponficibus Comitibusque Proceribus Baronibus Poloniae inunguntur et coronantur.

Paternis autem institutis Miecislaus novus Rex Poloniae edoctus, tam Pontifices, Principes et Barones, quam universam militiam et nobilitatem, quae ad suae Coronationis solennia, velut spectaculum visura Gnesnam confluxerat, et Coronationis suae die, et pluribus Regali mensa accepit, et oppipare eos tractari, singulisque abunde mensis epulas Regias inferri disposuit. Distribuebantur insuper ex praecepto et ordina-

tione Miecislai Regis in pauperes eisdem diebus largae eleemosinae, et singulorum providebatur aegestati. Obtulit etiam Miecislaus novus Rex in Coronationis suae die et Regina Rikscha insignia in auro et argento ad majus altare munera, sed et vestes sacras Ecclesiae Gnesnensi largiti sunt, in divinitatis propitiationem, et Ecclesiae Gnesnensis honorem, suae vero Coronationis perennem memoriam.

B. D. 1026. Polonorum Rex Miecislaus exacto integro anno, in quo patrem suum cum omni militia veste mutata, lugebat, ex Gnesnensi Castro, in quo continuum tenuerat domicilium versus Cracoviam ducens secum Richsam Reginam processit, ubi aliquit mensibus exactis in fines Russiae, cum militiae suae frequenti multitudine se contulit. Jaroslaus etenim atque Mecislaus Russiae Duces, morte Boleslai Poloniae Regis audita, cum magna tam militum, quam popularium caterva ac exercitu, fines Regni Poloniae invadunt, Castrumque Czerwieńsko, et alia Castra oppugnant, vastatisque aliquibus Regionibus Poloniae, captivos agrestes secum abducunt, et eos prope fluvium Porszy, pro-

pe Kioviam, ad colendam terram locant. Certum insuper erat Rutenos, per Patrem suum Boleslaum subactos, secuta morte ejus, ad res nouvandas plurimum inflammatos, plerasque conspirationes clandestinas tenuissse, et ad reijciendum impositum jugum animatos esse, apparebatque illos in apertam rebellionem aliquando, nisi interim daretur remediatio, prodituros. Russiam itaque Miecislaus Polonorum Rex perveniens, principaliores ex Rutenis capit, et captivos Cracoviam per Castra distribuendos transmittit, quos aliquantis annis obsidum loco habuit. Quo facto, et gliscentem rebellionem oppressit, et Rutenos in fide continuit, eisque novandi res de caetero opportunitatem ademit.

Rebus vero Russiae compositis, et Castris, munitionibusque justo militum praesidio, et victualium fulcimento provisis, in Poloniam remeabat: et primum quidem in Plocensem terram descendit, et in illa, audiendis, expediendisque causis et querelis subditorum, vacavit. Abinde vero in alios Lancitiensis et Cujaviensis terrae districtus conversus, ad solitam habitationem suam Gnesnam rediit.

Et quoniam fillius suus Casimirus jam aetatis annum septimum agebat; primo pater illum literis applicat, et viros graves doctores adolescenti adhibet, ut illustratus scientiarum lumine, ad gubernandam Rempublicam Polonorum instructior ingeniosiorque evaderet.

Jn ipso autem regnandi initio apparuit Miecislaus Poloniae Rex tardus ingenio, hebes animo, moribus quoque incultus, consilio ineptus, actione levis, ad res, dignitatem aut gravitatem deposcentes expediendas parum idoneus. Qui abiectis prudentibus, aevo et natura grandevis Consiliariis, juvenum se, et levium hominum, permisit consiliis. Quae quidem tam potentissima fuit causa, cur Regnum Polonorum sub ejus temporoe plura detrimenta senserit, quod nec ipse sapientiae studere voluit, neque colere sapientiae studiosos.

A. D. 1027. Interim cum Rutenorum rebus Miecislaus Polonorum Rex vacabat, Bohemi turpe reputantes tributa Poloniae Regibus pendere, in rebellionem apertam prodeunt et Polonos, quos in Bohemia reperiunt, aut comprehendunt, aut expellunt.

Erant pro ea tempestate duo Principes, Udalricus et Jaromir filii Boleslai, per Bôleslaum Poloniae Regem excoecati: apud Udalricum tamen Principatus Bohemiae administratio consistebat, alter enim frater Jaromir, ne consortio suo Principatum sibi ademeret, aut saltem truncaret, captus ab eo excoecatus vitam agebat privatam et calamitosam.

Erat Udalrico Duci Bohemiae filius ex agresti et rusticana faemina, Bozena, alias Beatrice nomine, susceptus, Bretislaus nomine, adolescens ferox et impiger. Is rebellionis praefatae primarius autor existens, non Polonos solum, sed et Nobiles Bohemiae, et speecialiter Ursovicenses, caeterosque Polonis faventes, magno odio prosequebatur. Udalricus siquidem genitor suus juramenti Boleslão Poloniae Regi praestiti Sacramento adactus, temerarie illud infringere non audebat, potentiam etiam Boleslai Poloniae Regis, et paenam excoecationis, qua pater suus Boleslaus Dux, in ea usque tempora vivens, mulctatus fuit, veritus: Boleslao vero Poloniae Rege mortuo, ipse quidem juramenti conscius a rebellione abstinuit, sed illam per filium Bretislaum confecit, et ut a

Polonis in avi sui excoecatione, atque in paterna captivitate acceptae injuriae memor foret, adolescentem, suapte in Polonorum odium proclivem, inflammare non destitit.

A. D. 1028. Diuturno jugo, quo Polonis tributa Bohemi pendentes tenebantur obnoxii, per Bretislaum Bohemiae Ducem abiecto et soluto, rursus Bretislaus Dux ipse, discessionem ipsam impune videns succedere, et Miecislaum Poloniae Regem dissimulatione, et silentio illam transire, ausus sumit, et exercitu ex equestri et pedestri milite collecto, in Moraviam, quae tunc universa a Polonis tenebatur, contendit, Civitatesque Moraviae, quae praesidio Polonorum in fide continebantur, obsidione cingit, et ad earum oppugnationem curam intendit; eo quidem majorem, quo Cives obsessarum Urbium novandarum rerum studiosos, et Polonorum regiminis pertesos, deditionem, nisi Polonorum Rex Miecislaus velocibus auxiliis obsidione solvat, facturos indubie intelligit.

Licet autem Polonorum milites in praesidiis hujusmodi agentes militiam,

et praefecti eorum saepius nuncium ad Miecislaum Regem mitterent, et in quantis versarentur periculis, denunciantes, auxilia sua implorarent; Rex tamem Miecislaus, sive aliis curis publicis et privatis tunc impeditus, sive ad tractanda repellendaque bella parum illi animi natura tribuisset, sive quod militiam pro tenenda, defendendaque Moravia Poloni detrectarent, obsessis petitum et quam maxime speratum suffragium ferre distulit.

Quae quidem sua dissimulatio ad noticiam Civium Moraviae, qui obsidebantur, (neque enim latere eos poterat, quippe et ipsi per proprios nuncios Miecislaum Polonorum Regem, de solvenda obsidione, sollicitabant) relata, magnam Polonorum militibus, praesidio Civitates defendentibus, perniciem ingessit, ultima enim desperatione, magis magisque Bohemorum quam Polonorum malentes subiici principatui, facturi se Duci Bretislao deditionem per clandestinos tractatus paciscuntur, apertisque portis sub noctis conticinio Bretislaum recipiunt.

Unius autem et duarum Civitatum exemplum caeterae sequutae, similem

fecere deditionem. Crudelem autem Bretislaus Bohemiae Dux victorem se gerens, milites Polonorum, quosdam quidem trucidavit, alios in captivitatem et alia supplicia egit, caeteros qui cives et incolae Moraviae facti fuerant, exilio, et bonorum confiscatione damnavit, nonnullos venundedit.

A. Domini 1029. Geminatam injuriam a Bretislao Bohemiae Duce, et in tributi ex Bohemia pensi denegatione, et in Moraviae occupatione illatam Miecislaus Polonorm Rex etsi diutius, quam satis erat, pertulerit; Baronum tamen suorum Poloniae crebris impulsionibus exagitatus, expeditionem generalem Regni sui in Moraviam indicit, et collectis copiarum suarum exercitibus, in notabili potentia Moraviam ingreditur, neque expugnationi Civitatum, quae a se defecerunt, intendit, obstinatis enim animis intelligebat, et reatus defectionis conscios, et praesidio eis a Bohemiae Duce Bretislao misso munitos, et obsidionem toleraturos, sed igne et spoliis mandat singula vastari. Incendebantur itaqae suburbana earum Civitatum, quae defecerant, incendebantur Oppida, villae quoque, et rura, et post plurima

damna Moraviae illata, praedam multam pecoris, et caeterorum spoliorum secum vehens, Miecislaus ex Moravia utramque ultus defectionem, in Poloniam salvus cum exercitú rediit.

A. D. 1030. Exemplum Moravorum Bohemorumque, Praefecti castrorum et munitionum Civitatum, cis Albim sitarum, secuti, ab obedientia, deditioneque Miecislai Regis, Regnique sui Poloniae deficere ceperunt, ignavia desidiaque Regis, et Almanorum affinitate, qua invicem dando accipiendoque uxores junxerant, eis defectionis materiam subministrante, audiebant siquidem, et plures ex illis ab experto noverant, Regis Miecislai partim molliciem, partim incuriam, propter quam pavor, obsequela, et Majestas Patri suo quondam Boleslao Poloniae Regi a propriis et finitimis servata, contemptum et despectum iri in filio cepit. Praefati siquidem cis Albini Praefecti conspiratione facta, neque ad jussum et vocationem Miecislai venire, neque vectigal solitum fisco Regio reddere, interpositis primum fucatis excusationibus, quod vexationem hostilem proprio aere et milite sustinerent et reprimerent, ceperunt, sensimque et non subito defectionem

hujus modi, quatenus remaneret, ut caetera impunita, callidis vafrisque et contectis specie mendacii ingeniis conflabant. Et quoniam hujusmodi conditio semel concepta ambitione contenta non est, sed se in varios desideriorum et affectuum, ni in suo exordio castigata et allissa fueeit, derivat et diffudit reflexus, Praefecti Polonorum cis Albini simplici defectione non contenti, non se jam Praefectos Capitaneosque Regis et Regni Poloniae, quinimo nec subditos, aut feudales, sed Dominos gerebant et nominabant, ditionisque et Principatus fasces orarum cis Albinarum Rege Poloniae tolerante usurpaverunt.

A. D. 1031. Pervenit tandem Moravorum, Bohemorum et Cis Albinorum Praefectorum ad gentes Cassubitarum, Serbinorum, et eas, quae Insulas et oras Martimas incolebant, quas Boleslaus Rex Polonorum ditioni et imperio suo restituerat, defectionis contagio. Hae quidem, ut natura est humana, ad res novandas pronae, et saepius bellis finitimorum lacessitae, crebrisque praeliis, et spoliis hostilibus vexatae, nihil defensionis, et praesidii a Miecislao Polonorum Rege tulerant, facile a sua et

Polonorum desciverunt obedientia, in variasque ditiones et proprietates scissae, nonnullae ad imperialem obedientiam subactae, caeterae a finitimis Principibus occupatae, aliquae vero suis parere praesidibus, et illorum suscipere dominium compulsae sunt.

A. D. 1032. Excutere jugum, et ab obedientia Miecislai Regis et Regni Poloniae se solvere Pomerani, aliorum defectionem et exemplum sequuti, tentaverunt: Principali enim nobilitatis, et quae apud illos opibus prudentia et factivitate praestabat, fasces regiminis deferunt, eumque sibi in Principem creant et assumunt.

Quorum rebellionem defectionemque Miecislaus Rex ad eum perlatam molestius, quam caeterorum ferens, indignam illam (ut erat) toleratu judicans, instigantibus illum Consiliariis et Proceribus Poloniae, ne tam manifestam injuriam, dedecus novum, scissuram vero Regno suo inferentem inultam sinat iri. Itaque expeditione indicta ex omnibus terris, quae Imperio suo parebant, colligit numerosum et fortem exercitum, et quo magis esset gloriosior con-

spectiorque et Pomeranis quibus inferrendum erat bellum, terribilior, tres Duces Ungarorum, Andream, Belam, et Levantam, Stephani Regis Ungariae Nepotes, quos ex Ungaria, ut supra monstravimus, fugientes susceperat, et more Regio, jureque hospitis tractaverat qui ipsi munus hujusmodi belli et militiae sibi non negari plurimis instantiis deposcebat, assumit, ordinatoque exercitu copiis convenientibus in Pomeraniam exercitum traducit.

Collegerat et Pomeranorum Tyrannus, et ex Pomeranis et finitimis gentibus haud contemnendum exercitum, fortunamque tentare, et cum Rege ac Domino suo Miecislao, nil conscientia patrati in eum sceleris et defectionis motus, quamprimum decernere, ne et a suis et auxiliariis, tempore succedente, desereretur, constituit. Itaque nil cunctatus exercitum producit, et cum Miecislao Polonorum Rege confligit.

Augebat animum Polonis justa ira, quod proprii consangvinei, familiares, et subditi ejus ultro arma inferunt; Pomeranos sceleris in Regem commissi recens atrocitas incendebat; quapropter

ab utraque parte acriter pugnatum est. Sternuntur tandem Pomerani, et Miecislaus Rex felici victoria potitus, autores defectionis capitali mulctat paena, caeterae multitudini ignoscit.

Et quoniam in hujusmodi pugna virtus Belae Ducis Ungarorum super cunctos enituit, Miecislaus Rex illum, ut dignum erat, praemians, generum sibi elegit, et dans ei filiam suam in uxorem, etiam universum censum Pomeranicum ad tenendum statum Ducalem sibi consignat.

A. D. 1033. Quietus is annus Polonis fuit, neque aut ad inferendum bellum finitimis, aut ad repellendum cogebantur. Quamvis enim, ut superius monstravimus, plures Regiones Polonorum Miecislai ditione et Imperio defecissent; earum tamen defectionem Miecislaus Rex Poloniae dissimulanter ferre, quam armis vindicare, maluit: nec enim paternus illi inerat animus, otioque et quiete marcescere quam armis occupari malebat: in luxum insuper et carnales illecebras, ut aliquorum habet assertio, diffluens, jus matrimoniale Regiumque nomen pellicum contagione faedabat. Quapropter nec propriis tam gravis aut

gloriosus, neque hostibus, aeque ut Pater erat, esse poterat formidabilis: sed neque bella ab eo gesta virtutis constat fuisse, sed necessitatis, non voluntate, sed hoste, aut defectione exigente, suscepta: Rempublicam quoque Regni sui ut desidiosus ignaviter administrabat, unde et odium a subjectis exortum est.

Nihil in Miecislao Rege sanguinis Aviti, nil paternae industriae, nil splendoris domestici, nil Regiae munificentiae aut frugalitatis: famam denique suam aut existimationem fuscam et truncam fecerat, apud proprios et exteros tenacitatis et suapte innatae, et a consorte Regina Rikscha nutritae obscuritas.

Grave itaque Proceribus videbatur pondus sui regiminis, acta sua ad nutum faemineum moderans; gravior aliquanto apud exteras nationes tributa pendentes oriebatur sarcina invidiae, dum Miecislaum Poloniae Regem attenderent, Regia quidem dignitate splendere, sed morum et virtutum Regiarum non habere lampadem, et ex muliebri pendere arbitrio; qui velut timidus atque iners animum pusillanimitate atque pavore obliteraverat, vacans ventri, somno,

otio et voluptati, non ob aliud magis apud proprios et exteros contemptui habitus, nisi quia pro gravitate per iniquitatem et violentiam negligentior ad vindictam extiterat.

A. D. 1034. Nondum Miecislaum Poloniae Regem senectus grandaeva affecerat, nondum morborum aut curarum onere pressus, diem fato propinquam creditus est tenuisse. Vegeto siquidem tunc et strenuo corpore erat, neque illum quisquam rebatur moriturum, utpote annum quinquagesimum super egressum: sive tamen naturali cursu id agente, sive Deo permittente, sive aliqua vi morbi, quae ex lubricitate et petulantia provenire facile poterat, eum exagitante, in amentiam incidit, qua crebris vicibus non sine cruciatu corporis vexabatur.

Quo quidem miserando casu suo, et defectio nationum Regionumque, quae a suo desciverant Imperio, confirmata stabilitaque est: et rursum etiam, qui metu continebantur, ad defectionem spectare ceperunt.

Habebat siquidem sui langvoris interdum alleviationem, et quasi spes lu-

cidi intervalli illi adveniebat, rediturusque ad bonam mentem et valetudinem sperabatur, eaque spes et subiectas nationes in fide, et milites in ordine, retinebat. Administratio interim Regni apud Rikscham Reginam erat, singula ex ejus arbtrio et ordinatione gerebantur: Verum dum mensibus aliquot, neque medicorum industria, neque virtute herbarum grassantem in Rege morbum potuisset dissolvere, aegritudine invalescente 15. Martii mortuus est.

In Castrum Posnaniense, ad cujus exequias cohonestandas Praelati et Barones Poloniae literis et Nuntiis Rikschae Reginae accersiti, conveniunt, et funus Regium debito justoque honore prosequuti, in Posnaniensi Cathedrali Ecclesia sepelitur, eidemque exequias peragunt, corpusque Regis in Paterno sepulchro condunt.

Habebat quidem et Reginam, et Primates Regni dolor ingens super Mieeislai Regis sui occasu, sed dementiae respectus adferebat levamen, postquam Regis morte sublatum fuit, tantum molestiae, quo et ipsi, et Regnum afficiebantur, opprobrium.

DE

Hic igitur ex imperiali Ottonis III sorore insignem genuit Kasimirum de quo diversimodo series texitur historiae.

Dicunt enim quidam „ quod post Mesco-
: nis decessum uxor eius filio adhuc imma-
: turo regnum credere non ausa suscepit Regni
: gubernacula. Quae quia equo violentior visa
: est: imo Teutonicorum |: patria indigetibus in:
: digetibus quantumlibet primis: | quoslibet
: inquilinos et suorum lixas Teutarum prae-
: ponere cepit, a Civibus profligata est
: |: in exilio consenuit: | parvulo Kasimiro
: reservato sub fideli Procerum tutela.

„ Qui dum in virile robur evaserat
: immerita exhereditationis poena mulctatur.
: Timentes enim proceres ne maternas in

„ ipsis

" in ipsis prosequatur injurias ex illo propulsant,"

aliis aliter visum est: dicunt enim "huius
= parvuli matrem in ipso partu expirasse, Ipsum
= vero inter ipsa crepundia /: ut alterum Herculem:/
= novercales expertum delicias,"

" Pater enim /: ut assolet:/ nunc pueri ex=
= osculans oscellum, nunc tenerum demulcens
= pectusculum, crebris anhelat flammis, tacitis
= scinditur suspiriis, lacrymosis effluit imbribus,
= mortuae scilicet uxoris cineres vivos gestat in
= pectore: vultus enim filii speculum est matris
= ejus,"

" Quod noverca advertens versutiā dolos
= venatur, instruit insidias, puero necem in=
= tentat ne pellex mortua in se, videatur superstes
= in prole, ne non sua soboles Regni successione
= tandem potiatur.

Secreto

" Secreto ergo quendam assecretem lenoci:
" nariis circumscribit sermunculis, sponsionum
: circumvenit blandiciis, aureis persuadet donati:
: vis ut puerum exponat

Efficacissima enim est benevolentiae concilia:
trix pecunia; nec est qui non peroret quae auro
allegativas et ponderat et maturat sententias.

" Vir tamen tam Deo quam prudentia ple:
: nus, ut Illum a morte redimat, in ejus mortem
: verbotenus consensit: Quem sub occisionis si=
: mulatione tollens, cuidam Cenobio commisit alen:
: dum "

" Post modicillum vero tempusculi decedit
: Pater, proscribitur noverca, Regnum destituitur
: Patria desolatur, cives seditionantur, hostes gras:
: santur, urbes municipia domesticis exuta prae

sidiis

" sidiis ab extraneis occupantur, terra dissipati:
: one dissipatur, direptione praedatur.

" Ceterum Ille fidelis non immemor depo-
= siti Quibusdam hujus Reipublicae amantissimis
: de puero suggerit in quo unicum tantae desolationis
: solatium, singulare tantae cladis remedium Divino ut
: ait munere provisum, non sua servatum industria ;"

Erat autem robustorum ..

/: vide infra pag 112:/

DE GESTIS

CASIMIRI I.

REGIS POLONIAE.

Anno Domini 1035. Ad substituendum, in loco Miecislai Regis Poloniae defuncti, novum Regem Polonorum, Proceres apud Gnesnam et Posnaniam aliquot tenuere conventus. Pluribusque conventibus, et tractatibus interpositis, de firmando stabiliendoque novo Regni statu discordabant. Aliis enim placebat filium Regis Casimirum, jam annum XX ingressum, coronare, et in Principatum assumere: aliis aetas Casimiri tenera et juvenilis, principatuique nondum apta videbatur: verebantur nonnulli ne Paternae dementiae redoleret in illo mixtura.

Coronationem autem et institutionem futuri Regis suspendi et differri placuit, ut circa Rikscham Reginam Poloniae, et certos curatores ex Baronibus Poloniae sibi adjunctos, regiminis summa consisteret.

A. D. 1036. Turbatio dissensionum et schismatum quae ex morte Regis Miecislai Baronum et militarium livore in Reginam Rikscham insurgente conflata fuerat amplius invalescere, et vires suas plus solito extendere coeperat. Omnis siquidem culpa in Reginam Rikscham per Barones et militares retorta, primum successionem Regni, et susceptionem diadematis Cazimiro ademit, deinde et favorem civilem sensim exemit, nam etsi pluribus tributis, datiis, et honorantiis Reginae Rikschae fabrica et ingenio introductis se, suosque homines quaererentur militares onerosa servitute gravatos, amplior tamen illos occupabat amaritudo, quod servitutem ipsam Reginae Rikschae autoritas et industria non sinebat, juxta preces militarium aliquoties apud eam et filium Cazimirum repetitas abrogari.

His tamen omnibus maxima acerbitas, fatis iam Poloniam appetentibus, accedebat, ipsa siquidem Regina Rikscha, et in Regis Miecislai mariti sui vita diuturno tempore, et postquam e vita subtractus erat Polonos perosa, mores eorum et conversationem fastidiens, rigida interdum sugillatione carpebat.

Tenebat in super et in aula sua, et in officiis Almanos, neglectisque et ut verius loquar, contemptis Polonorum Proceribus, et eorum filiis quantumcunque primis et ingenuis quoslibet ex Teutonicis inquilinos sortis et conditionis tenuis ac infimae homines in conferendis officiis et in largiendis pecuniis praeferebat.

Verum etsi ludibrium hujusmodi in vita Regis Miecislai ad gravem injuriam et contumeliam referrent, rescindi tament illud non rati se habere potestatem aequius sufferebant. Ubi vero occasio et facultas diluendae publicae ignominiae oblata est, tanto livore, tantoque reciproco odio in Reginam, sed ne tum quidem juste eorum indignationi morem gerentem universorum Polonorum exarmata succensaque sunt pectora, ut primum omnem obedientiam administrationemque Regni, tam Reginae, quam filio suo subtraherent, deinde sibi Castris et Civitatibus, caeterisque possessionibus ademptis, Regno etiam illam excluderent, et postremo cum filio Regno Poloniae excedere, et ad Almanos, quos tanto dignabantur honore, transmigrare juberent.

Crebris itaque injuriis et molestiis Rikscha Regina Poloniae a Proceribus et militibus Polonorum affecta, et ne in se et filium suum Casimirum Polonorum ira gravius quicquam consuleret verita de Polonia in Saxoniam, in Maideburg, et Brunsvig, pulsa excedit, filium quoque suum Cazimirum secum educit. Sed neque his contenta, omnem in auro, argento, gemmis, et lapidibus preciosis suppellectilem, per Boleslaum et Miecislaum Poloniae Reges congestam, magnique ponderis, et valoris duas Coronas, quibus Reges et uxor Boleslai Primi Regis, et tandem ipsa Rikscha coronati erant, sed plura alia clenodia, monilia, vasa et insignia, caris et praestantissimis gemmis, unionibus, fulgentia; Item pecuniae Regiae ex thesauro grandem quantitatem aufert, et asportat. Poloniaeque Regnum ingenti thesauro spoliat.

In Saxoniam autem perveniens Imperatorem primum adiit, a quo officiose et venerabiliter suscepta duabus coronis, quas secum ex Polonia duxerat, Imperatorem honoravit, et de injuriis, quibus a Polonis afflicta fuisset, questa, seipsam et filium, suum Cazimirum in tutelam

et gubernationem Imperatoris commendavit. Et Imperator quidem misso in fines Poloniae exercitu, injuriam ejus superficietenus vindicare visus est.

A. D. 1037. Rikscha Polonorum Regina cum filio suo Casimiro ex Polonia secedente, gliscens dudum civilis dissensio serpere amplius, et confestim tumultuari Regnum Polonicum cepit, res quoque omnes publicae, aut in seditionem spectare, aut sola in discordia versari, et quasi quaedam tabes universum Regnum Poloniae scaturientibus undique commotionibus et guerris, pervasit.

Et primum quidem inter Proceres, Barones, et militares crebrae clades oriebantur, per quas cum et praecipui bellatores, et ingenui homines absumpti deletique mutua caede forent, in locum illorum, vilia seruorum mancipia, praebentibus illis civilibus bellis audaciam, succedebant, Baronumque et militarium peremptorum conjuges, et possessiones, interfectis, si qui relinquebantur, liberis, occupabant, et suas in illis, caeterisque ingenuis faeminis et matronis, explebant libidines et incaestus.

Ubi vero tantorum scelerum factio suis impuniter, (neque enim jam legis metus, neque primores in aestimatione habebantur) procedebat, illico servorum rusticorumque agros et aratra linquentium, maximus numerus conflatus est, qui deinde Ducibus a se lectis, armis correptis, passim omnibus nobilibus, omnibusque bonis bellum inferrent, et singulos, quos vincebant, bonis eorum exturbatis, occupatis, aut direptis, obtruncabant, in caeteros, quos subigire non poterant, vicos, villas et ea omnia, quae ditionis eorum noverant esse, inflammando crudeliter debachantur.

In hac quoque tempestate, neque templis, neque sacris locis, et ministris Dei indultum est, sed rapacibus, et sacrilegis manibus, templa magis insignia et locupletia, bona Ecclesiarum direpta sunt: in sacerdotes, vario mortis genere saevitum est, alii enim mucronibus et lanceis perfodiebantur, alii jugulabantur, caeteri lapidibus, quasi quaedam victimae, a prophanis hominibus, qui non solum fidem et religionem, sed etiam pietatem et humanitatem a se abdicaverant, obruebantur. Ad ritus insuper gentiles et prophanos nonnulli

redeundum consentiebant, et ob id contra jus et fas omnia divina atque humana permixta erant, plures quoque Ecclesiae desertae, ferarum, animalium, et bestiarum erant cubilia.

Tantusquoque belli civilis fremitus et stridor contagione quadam animis multorum iniectus fuerat; ut singulae Regni Poloniae partes, verso in propria viscera gladio, aut mutua et cruenta caede, aut incendiis et depopulationibus agrorum flagrabant: omnia itinera suspecta et viae spoliantium praedonum, latronumque plenae, rarus extabat locus, qui conspectu et latebris insidiantium non scaturiret, vix solis volucribus laceratae patriae tuta et pervia tellus erat. Agrestes quoque his vexati assiduo spatio villis desertis, quibus in pace insudare consueverant agriculturae, et regionibus in praedones rapacissimos concreverant.

Provincia deinde omni turbata, non longinqua solum, sed etiam interiora Regni et propinqua collidebantur: ipsa videlicet Plocensis regio, in qua Maslaus unus ex nobilitate, poculorumque regiorum subpincerna, et ipse olim

Regi Miecislao charus, quod scelus in aliorum redargutione abhorrere et vindicare debuerat commissum, se Plocensem Principem gerere cepit.

Domesticis insuper calamitatibus et malis Bohemicum bellum accessit, nil domestico et civili perniciosius! qui in Poloniae Regnum omni genere crudelitatis grassati pereuntem suapte Polonorum regionem, quo maturius periret omnem operam navarunt.

A. D. 1038. Civili, ct plus quam civili, Nobilium videlicet et popularium furore Regnum Poloniae Bretislaus Bohemiae Dux intelligens dilaceratum et collisum, et suo Rege atque Principe destitutum, invadere illud, velut paratam praedam et amplioribus incommodis afficere, nullam illinc sciens resistentiam, constituit. Ad quod illum non solum acceptae in excoecatione Avi sui Boleslai Ducis Bohemiae per Boleslaum Chrobri factae memoria injuriae, sed livor et odium, simulque occupandi Regni alieni, aut saltim exterminandi stimulabat ambitio, et prava voluntas. Collecta itaque Nobilium et agrestium multitudine, Poloniam ingressus, Civitates

ejus magis opulentas et insignes, Wratislaviam videlicet et Posnaniam, oppidaque, vicos et villas, quas civilium stridor nondum deleverat, diripit, et exurit. Ad Gnesnam tandem Polonorum Metropolim perveniens illam, quae nec situ nec arte munita erat, sed neque defensores habebat, facile capit, et cum in Urbe tam vulgata et famosa Nobilium praedam suae avaritiae, prout rebatur, suffecturam non reperit, neque enim illic nisi vilia mancipia relicta erant, ad praedanda diripiendaque templa sacra, animum ambitione aestuantem convertit.

A. D. 1040. Omnibus autem in Poloniae Regno rempublicam per desperationem deserentibus, nihilque salutare in commune conferentibus, Patriae occasum cum suo exitio propediem venturum arcibus aut locis palustribus et inuiis, Proceres et Primores inclusi operiebantur.

Sic respublica Polonorum, vehementi et interno et externo hoste deformata, et ad extremam ferme internecionem depressa, cum singuli quasi quadam tempestate fuissent jactati, splendor quidam veluti e caelo demissus pe-

ctora Primorum inspiravit. Prelati enim et Barones Poloniae, crebris tractatibus exiguas ejus et exangues reliquias saluare cupientes, de summa rerum, et quonam modo status prior et facies Reipublicae reddi posset, consultabant. Et omnium quidem sententiae congruebant „ sine Rege et Principe, „ neque mala exorta dispellli, neque ad „ debitum ordinem Regnum posse de„ duci „ in eligendo tamen et assumendo Principe erant varii et diversi. Quibusdam enim placebat, aut ex vicinis Principibus, aut ex propriis militibus Regem eligi. Sed haec quoque sententia multas secum futuras difficultates et incommoda trahens, cum verendum esset, ne eligendus Rex, si de Principibus vicinis esset, principatum detrectaret, si vero de genere proprio, ne in contemptum fastidiumque veniret, damnabatur. Aliis placebat expulsum et exiliatum haeredem, et filium Regis Cazimirum quaerere, et omnibus modis ad Regni reducere regimen. (Quo vivente certum esset aliquem justum et prudentem Principem Regnum Poloniae lacerum et deforme abnuiturum) neque „ parui pendendam prolem Regiam cui „ haereditas et successio debebatur, sed

„ imo avitam in Cazimiro sperandam
„ esse indolem, neque alium extare
„ Principem, qui reipublicae Regni Po-
„ loniae aeque possit, et abrogare de-
„ formitates, et instaurare ruinas. Ini-
„ quum insuper esse Boleslai magni
„ primi Polonorum Regis beneficia, et
„ in patriam, et in se praestita obli-
„ tum iri, nepotemque suum eo Regno
„ privari, cujus ille virtutis suae excel-
„ lentia primus diadema meruit.„

Haec sententia cum ab omnibus collaudata et accepta foret, decernentibus judicantibusque singulis Proceribus regionem Polonicam, suam dignitatem, suumque statum nisi Rege Cazimiro recuperato, recuperare et tenere non posse: post multos itaque tractatus, post varias jactationes simultates et tumultus finem desidiis in hunc modum placuit ponere, modumque statuere odiis „ so-
„ lusque Cazimirus dignus visus est cui
„ Regnum, Legati communi voto eli-
„ gendi, deferrent, quem Deus Omni-
„ potens in suae indignationis jubilo mi-
„ sericordiae suae non oblitus, quasi
„ scintillam modicam pro Polonorum re-
„ stauranda gloria voluit conservare. „

Nuntii posthaec ad Cazimirum quaerendum designantur et mittuntur, eo mandato et autoritate instructioneque fulciti, ut pro illius reductione etiam quaeque difficilia subeant, cum in illo uno, unica spes miserabilis patriae consistat.

In Almaniam ad genitricem suam Rikscham Reginam Poloniae in Selevold commorantem pervenit. Apud quam dum diebus aliquibus quiesceret, persuadere illi molita est, ne ad Regnum Poloniae propriorum et externorum bellis direptum, desolatum, et exustum, cineribus magis et favillis, quam frequentibus urbibus et vicis inclitum, ubi sibi prioris exilii et injuriae facies pertimescenda foret, consentiret redire in Almania consisteret, largas et sufficientes possessiones, et per eam comparatas, et favore Imperatoris Henrici, propinqui sui avunculi donatas, morte insuper aliorum consangvineorum devolvendas pro tenendo statu Ducali habiturus.

Non moverunt Cazimirum Ducem exhortationes maternae, quae fortes stimulos adferre solent, verum matri a filio convenienter responsum est „non „ esse aliquas possessiones Almaniae et

„ Dominia tam ubetibus redundantia
„ divitiis, quorum gubernatione avitum
„ et paternum Regnum, quamvis semi-
„ ustum, desolatum et direptum, dese-
„ rendum negligendumque putaret. Sed
„ nec in universâ Almania tam glo-
„ riosum et illustrem eum et semen ejus
„ futurum, quantum in uno solo Polo-
„ niae Regno, cujus sibi instaurationem
„ perfacilem atque inde famam deno-
„ minationemque percelebrem, perfidi
„ cujuslibet favore circumscripto fore
„ demonstrabat, cui etiam ab optimo
„ quoque spiritus ipse debeatur.

Coufutatam Rikscha Poloniae Regina in sua persuasione videns, aequiori animo filium propositum exequi passa est, qui etsi eam secum in Poloniam redire precabatur, nullatenus propter acceptam confusionis et exilii irrogatam a Polonis injuriam acquievit.

Rikscha Regina redeunti filio Cazimiro in Poloniae Regnum plura clenodia in auro et argento gemmisque quae ex Polonia contulerat, restituit, nonnullosque milites et equestris ordinis viros, quorum vallatus caterva filius honestius Poloniam repeteret, ex Almania

filio adjunxerat, et ne filio ejusque Comitibus quicquam possit deesse de viatico sufficienti materna benignitate providet.

Expediens autem et summe necessarium, tam Cazimiro Duci et matri ejus Rikschae Reginae, quam Polonorum legatis visum est, ut Henricum Tertium Romanorum Regem, et filium Conradi Jmperatoris adirent, restitutionem coronarum materalium Regni Poloniae per Rikscham Reginam Conrado Jmperatori, ut in superioribus demonstravimus, donatarum obtenturi, simulque de vastatione et spoliis per Bretislaum Ducem Bohemiae in Poloniae Regnum tempore absentiae Principis injuste accepta, quaesturi.

Morabatur pro eo tempore Henricus Romanorum Rex, non in remoto loco in insula videlicet S. Suiperti, quem cum adiissent, gratus fuit Henrico Regi eorum adventus, multamque comitatem novo hospiti et propinquo affini suo Duci Casimiro, et Polonorum legatis et ipse praestitit; et a suis mandavit praestari, et Coronas quidem materiales duas Regni Poloniae, quarum petebatur restitutio, prona benevolentia restituit: ad Ducem Bretislaum Bohemiae nuncios,

qui illum et de iniqua Regni vastatione Poloniae arguerent, et ut ablata restitueret monerent, misit, seque Duci Casimiro et futuro Polonorum Regi contra Bohemos in singulis auxiliaturum spopondit. Quo enim Ducis Casimiri in Poloniam hostibus et invidis terribilior, propriis vero et devotis gratior esset ingressus, insignem militum et curiensium suorum numerum Casimiro pro honore sui et solatio adjungit, et profecturum secum in Poloniam et partes suas contra rebelles et indomitos adjuturum.

Rebus suis Casimirus Poloniae Dux apud Henricum Tertium Regem pro voto stabilis licentia a Rege et genitrice sua Rikscha Regina obtenta ex Misnia versus Poloniam discedebat. Dum autem rumor Poloniam de sui principis et futuri Regis desiderato adventu pervenisset, magna hilaritate et gaudio omnium bonorum Rempublicam salvam esse cupientium corda profusa sunt, singuli enim boni Casimiri reditum scientes, anxie per omnes status atque ordines operiebantur, hi vero qui raptu et scelere vivere assueti, quique aut regalia aut aliena occupabant, non mediocri dolore et pavore perculsi sunt.

Venienti autem ad fines Poloniae Casimiro, Prelati et Barones Poloniae cum quanta possunt militia occurrant, catervatim obviam illi effusi summo cordis plausu illum excipiunt, gratulantur incolumitati, et longo post peregrinationem reditui, laudes in illum depromendo concinunt, Principemque suum magna devotione excipiunt, admonentque et precantur „ut earum quae sibi, et „genitrici suae inconsideratius temera„riusque furor injuriarum irrogarat per„petuo obliteratis, ad capessendam rem„publicam Regni sui prostratam et „exanguem animum intendat, et sui „animi brachiis se curandos accipiat, „nec iram et indignationem habeat vir„tute potiorem.„

Jlle id animo suo insedisse praeci„puum respondit, eaque de causa dul„cem religionis cultum se reliquisse, et „in Poloniam cum Almanorum haud „contemnendis copiis se rediisse docet, „ut Respublica ex calamitate eam deti„nente, et mediis quoque quibus ja„ctata est peneque mersa fluctibus, „in tutum evadat„ declarat se invitan„tibus Polonorum Legatis, in Polo„niam pro Polonici populi et Regni salute

Erat autem robustorum collecta manus, quae unius tantum oppidi tuta praesidio, contra omnium hostium assultus, iam non Regnum sed exiles regni reliquias defensabant. Horum ergo studiis patriae restitutus Kasimirus, patriam hostibus eripit, vendicarias ab undique potestates eradicat, Principes abortivos a singulis circumquaque provinciis abigit et devotas revocat obsequelas.

Cumque omnes gratulatissimi ad Illius numen concurrerent, ejus adorarent maiestatem, sola Masoviorum provincia non solum illi non affavet sed atrocissime bellum infligit: quam Quidam /: de sordido quidem famulitii genere avo originaris, sed vir et facundus et strenuus nomine Matzlaus :/ principandi ambitione occupaverat.

occupaverat. Hic armat contra Kasimirum viginti exercitus cuspidariorum exercitatissimorum, exceptis sagittariis ballistis bipennatibus spatariis, imo etiam finitimis copiis tam equitum quam peditum qui eo confluxerant spe questus illecti fortunam secuti non hominem.

Quibus omnibus a Kasimiro confectis non minores rursus instaurat vires: quatuor Maritimorum acies; totidem Gethicas, necnon Dacorum ac Ruthenorum larga asciscens suffragia, quos nulla remoratur difficultas, non ut amico morem gerant, sed ut hosticam odii rabiem ut antiquam invidiae sitim cruore Polenorum expleant.

Sed quantum a voto procul sepe hominum vota recedunt neq semper feriat quocunque minabitur arcus res illorum in contrarium

atque

utque speraverant rdabuntur. Omnes enim ve= lut levem stuppae favillam Noster ventilat univer= nis! omnes kasimirus turbine occisionis quasi procella fulgeris involuit!

Ambitionis autem ille princeps ad Getas transfugit: ubi excelsiore dignitatis gradu subli= matur. Getae namque non parva suorum cede sau= cii omnes in Illum causas conferunt, necem omni= um in eo ulciscuntur. Quem post multa demum supplicia eminentissimo affigunt patibulo dicentes „ alta petisti, alta tene!„ ne scilicet affectatae celsitudinis fastigium vel morienti defuerit.

Igitur Casimiri filius

vide infra pag 126

„ salute et instauratione advenisse,
„ non solum non repetiturum paenas
„ a suis et genitricis suae ejectoribus,
„ sed etiam omnibus offensis perpetuam
„ oblivionem daturum, ut non tam
„ autoritate quam benignitate et fa-
„ cilitate cunctis imperet.„

Excepti sunt et a Polonis Almanorum, qui cum Cazimiro advenerant milites, et magnus illis favor et honor, pro omni tempore, quo militiam agebant in Polonia habitus.

Ut autem fama zeli sui pro instauranda Republica concepti diffunderetur, plerasque munitiones et castra in finibus Regni Poloniae, aut per hostes intercepta, aut per vespiliones et praedones domesticos occupata invadit expugnat et conquirit, maleficosque in illis comprehensos quosdam patibuli suspensione damnat, quosdam gladio ferit, quosdam manibus et pedibus in aliorum terrorem mutilat, paenis et suppliciis singulos deterret improbos.

Male acta et deformata rescindit, delicta vindicat, omne crimen diluit, omne nefas extinguit, omnem arcet in-

juriam: quosdam deinde extollit, quosdam significat; tantus denique tam hostibus, quam propriis pavor injectus est, ut et hostes ab occupatis excederent, et domestici parci sibi, et transactas praevaricationes remitti, et propria humiliatione, et amicorum suffragiis implorarent: neque nobilis et solers Princeps saeviendum in singulos duxit, sed pertinacibus maleficis, et qui seditionum erant autores, capite mulctatis, caeteris se benignum et placatum exhibuit, ne Regio superioribus bellis collisa, in ampliorem etiam rediret vastitatem.

Itum est posthaec ad Metropolim Gnesnam, et per Gnesnensem Archiepiscopum Stephanum, caeteris Pontificibus Poloniae assistentibus, Casimirus nominis hujus novus Princeps, ordine vero tertius, acclamatione et universali consensu Rex Poloniae appellatus, corona quam retulerat, insignitus, unctus, et coronatus est.

Ad Coronationem autem hujusmodi perficiendam, magna alacritate, gaudio, et exultatione, maximo quoque infimorum studio Gnesnam concursum est,

ab omni aetate, ordine et natione, unoquoque arbitrante se Poloniae Regni privignum non filium esse qui coronationi ipse non interesset, qui non plausu et acclamatione vultus denique et gestus significatione favere se non monstrasset. Videbant enim duas sibi et patriae res praeclaras et salutares, quarum desiderio quam maxime tenebantur, et reversione Casimiri, et coronatione restitutas, pacem videlicet et Regni fulgorem periocundum. Cernebant insuper ea tempora rediisse, in quibus libertate, fortunis, pace, et otio frui, meliora vero in dies sperare licebat.

Permixtae undique turbae summa laeticia et plausu, quocunque iter faceret, Casimiro congratulabantur, et ad reductionis coronationisque suae spectaculum, e fenestris tectisque catervatim pendebant, atque ipsum his conveniebant, compellabantque vocibus. „Gratulamur, inquiunt, Excellentissi-„me Princeps tuo reditui, tuaeque in-„columitati, immortalemque Deum „praecibus obsecramus supplicibus, ut „pulcherrimis caeptis tuis faveat, ut „Regnum Poloniae tuo ductu, tuisque „auspiciis restituas, amplifices et con-

„ serves, et illius rempublicam variis exa-
„ gitatam, paeneque collapsam procellis,
„ quae te unicum filium, liberatorem
„ unicum, suae salutis anchoram, et
„ portum amplectitur, erigas amplies
„ componas.

Magna insuper celebritate dies ille coronationis a Polonis actus est, cum favore pristino, tum gaudio insperato recuperatae libertatis, Regni et pacis, et quem nusquam visurum, et revisusum crediderant incolumem Parentem, et Regio fulgentem diademate viderant, laudes illi in teatro canebant, mirificisque honestabant praeconiis, avitaeque illi tributae et imprecatae laudes, ut Patriae Pater illius jure appellaretur, amplissimo honore a populo et Nobilitate ubique exceptus.

Erat enim Casimirus Poloniae Rex moribus suis, eloquiis et responsis adeo nitidus et modestus, ut impleret Polonos spe certissima instaurandi Regni et deperdita recuperandi, amplius quidem et perfectius, quam per experimentum rerum ratio soleat comprehendere. Dando responsa fide et maiestate, prudentia Legatis multis vicinorum Regum et Prin-

cipum suum reditum condigna gratulatione excipientium, et se illis morigeros fore offerentium, et ab omni ferociori verbo alieni.

Sumpta Regia unctione et Diademate, coronationeque solenni ritu juste et legitime peracta, id inprimis Pontificibus et Baronibus Poloniae efficiendum curandumque visum est, ut Casimirus Poloniae Rex, aliquam Nobilem ex Ducali genere virginem sibi matrimonio copularet, cujus conjunctione prolis faecunditas et successio, Regnique Poloniae instauratio et stabilimentum ex affinitate et dote possit provenire.

Obtinebat ea tempestate Russiae Principatum Jaroslaus Dux filius Wladimiri, sororem habens germanam, ex Anna sorore Basilii et Constantini Imperatorum Graeciae genitam, decoram et virtuosam Mariam nomine, hanc etsi ritus disparis erat, Casimirus Poloniae Rex propter plures respectus ipsum et Consiliarios suos promoventes, accepit uxorem. Nuptiae quoque in apparatu et sumptu magnifico juxta exigentiam status et Principis locantis sororem et Regis accipientis uxorem, Cracoviae celebran-

tur. Accepit autem Casimirus Poloniae Rex a Russiae Prinpice Jaroslao, et pecuniae magnam quantitatem, et vasa clenodiaque in auro, argento, vestitum quoque equorum non mediocrem suppellectilem in vim dotis.

Regnumque suum splendido matrimonio et divitiis implevit, et affinitate stabilivit: nam et Regnum suum versus oram Rutenicam effecerat quietatum et securum, et ad bella quae illum pro recuperando restaurandoque Regno cum finitimis aut propriis gerere contigit, Rutenorum auxiliis utebatur. Multa tamen Castra et Regiones Russiae, quae avus suus Boleslaus Polonorum Rex primus, in Russia victo et conflicto Jaroslao consecutus fuerat et in eam diem tenuerat, post contractam affinitatem, in signum veri foederis et sincerae affinitatis Jaroslao restituit.

A. D. 1042. Singulis fere Regionibus et Provinciis quas Regni Poloniae complectebatur latitudo, de adventu et coronatione novi Regis et Principis sui naturalis, immenso gaudio et gratitudine refertis, promptaque et fideli devotione, in ejus ruentibus obedientiam et

ditionem, studiis insuper omnium circa suum Imperium conspirantibus, sola Plocensis, quae nunc mutato nomine Mazovia appellatur, Provincia, rebellem se praestitit et communis laeticiae atque gratitudinis expertem, ad quam illam Maslaus unus ex Proceribus Poloniae, vir specie et forma magis quam virtute et gloria insignis, dominationisque improbae cupidus, qui durante interregno et superiori dissensione civili, Principem se et Principatum in illa creaverat, et falso nomine Ducales fasces ibi usurpaverat, animabat, decertare etiam acie, si impeteretur, paratus. Prutenicis addictus solatiis, majora sibi quam conditio sua capere poterat, portendebat, et sortem suam ignorans, pennis praesumebat volitare Icareis, recordatione eorum beneficiorum, quae Miecislaus Rex Poloniae in eum contulerat, nil inhibitus, quem Casimiri Regis Pater in celebri dignitatis honore (poculum enim in Pincernae modum Regi ministrare solitus) collocarat, homo effraenatae temeritatis intolerabili spiritu, in civilium bellorum renovandas cicatrices praerumpit, et arma contra Casimirum, Plocensibus et Prutenis eum adjuvantibus, sumpsit, ratus facinus suum, quod in Rik-

scham Reginam et Casimirum admiserat, aliquanto majus fore, quam cui a Casimiro Rege deberetur ignosci: neque enim beneficii alicujus est plenitudo, quod non vellicare malignitas possit.

Cujus rei gratia et externa finitimorum conducebat auxilia, et non Nobilitatem tantum notabilem, sed et plebem servosque in militiam asciverat, facilem sibi victoriam de Casimiro Polonorum Rege pollicendo. Augebat spem suam vastata et ab hoste, et a propriis Regionibus Polonorum conditio, raritatemque et diminutionem eorum qui apud Casimirum Regem militabant, frequentia vero externi et proprii militis a se conducti pensata, contemnebat.

Eaque Maslai rebellio terrorem plurimis, ipsi etiam Casimiro Regi meditationem Tyrannidis inferebat. Vir enim erat fallax, et maleficus, ac supra conditionis suae fortunam altiora sperare promptus, nulla altercatione mutatus, et cum grandia per liberalitatem Regis Mieczislai accepisset, pro frequentibus beneficiis hostem se in filium egit.

Indigne tamen et plusquam moleste Casimirus Poloniae Rex rebellionem arrogantiamque Maslai, prout par erat, tulit, quod servus et subditus Patris etiam sui Miecislai beneficiis astrictus, rebellionem primum, deinde arma in illum commovisset, omnibus tamen rumoribus, qui ex Mazovia afferebantur contemptis, opprimere Maslaum priusr quam illi externa et finitimarum gentium possint pervenire auxilia, statuit. Veteranorum itaque militum ex Polonia, et horum quos secum ex Almania adduxerat robore tandummodo fretus in Mazoviam descendit justae deditioni illam simul cum Maslao subacturus. Cui Jaroslaus Dux Russiae consortis suae germanus, cum omnibus Rutenicis copiis in auxilium advenit.

Maslaus certior a suis de Regis adventu factus quamvis nondum suas copias videbat convenisse, superiorem bello se ratus futurum, Casimiro Regi occurrens, praelium committit: Mazovitae seu Plocenses sceleris invidia parum pensata, nec advertentes quod non in hostes, non in Tyrannum, sed in legitimum Dominum Maslai grassaretur invidia et audacia, et Regi naturali-

que domino et civibus pro Tyranno bellum inferunt, manus impias pro causa noxia conserturi.

Pugnatum est ab utrisque animo pertinaci, justaque Regis ira militibus accensis addebat vires, unde Maslai exercitus impetum Regium non sustinens in fugam verti, et sensim defluere coepit. Casimirus autem fugientibus instare ac persequi suos milites jubens, magnam stragem effecit in hostibus. Maslaus fuga elapsus ad Prutenos, vinci acies suas videns, divertens evasit: Mazovia vero in Regis Casimiri ditionem plene extunc redacta est.

Regnum quoque Polonicum, quasi ex aliquo flagrantissimo incendio Casimiri Regis opera ereptum, qui passus non est omnem majorum suorum gloriam interire, conatus omnes pro instauratione Regni sollicito studio impendens, a quo omnis justitia, et omnis virtus superiorum Regum et Principum disciplina, sub tempore sui exilii et absentiae migraverat.

A. D. 1058. Poloniae Regnum, quod ex morte Miecislai Regis alto languore et pene morte confectum erat, optimo

Casimiri I. Poloniae Regis regimine et gubernatione ad robur primum pertingebat, transquillam beatamque sub Principe illo Poloni agentes vitam, miranda celeritate, Regiaque benignitate et favore, collapsa prostrata superiori tempore et perdita erexerant, solidaverant, refecerantque. Ipse quoque Casimirus Rex timorem Dei singulis actionibus suis praeseferens ac immiscens, et simplici rectaque via in conspectu Dei gradiens, justiciam, et pacem summopere diligebat, externos motus, qui saepe numero conficere solent bellum in ipsis initiis confringens, ac dissolvens. Praecipuus Dei cultor viduarum orphanorumque defensor, Ecclesiarum munificus dotator, patriae ardentissimus amator, praedonum et furum hostis habebatur. Tanto insuper ardore, tanta solicitudine et charitate extollendi, magnificandique rempublicam, Regni sui Poloniae studio continuo et indefesso certare laborareque visus et notatus est, tantamque afflictis et pene perditis Regni sui rebus indidit coalescentiam, et perfectionem, ut universali ppellatione et consensu Instaurator pacificus et tunc quidem vocitatus est, et in haec usque tempora vocitatur. Vix autem et vitae et regiminis

tempus dimidium emensus fuisse putabatur, dum fatis illum appetentibus forti languore correptus, in grabatum decidit, mensemque integrum cum morbo luctatus, cum victa natura moriturum se agnovisset, Praelatos et Primores Regni sui Posnaniam, illic enim decumbebat, convocat, et pluribus limatisque verbis apud eos concionatus, quatenus concordiam et justiciam summopere colerent, ut morte sua secuta primogenitum filium suum Boleslaum, prudentia et natu majorem pro Rege susciperent.

Tandem in aula Regia Posnaniae Dominico corpore, caeterisque Sacramentis sumptis, devote religiose, ut tanto conveniebat Regi 28. Novembris mortuus est, et justo ac magnifico apparatu in Cathedrali Ecclesia Posnaiensi in sepulchro Aui sui Boleslai primi Poloniae Regis, cum paternis cineribus consepultus, Anno Regni 18. vitae vero 44.

Vir statura procerus, forma compositus atque comptus, barba promissa, capillo copioso, habitudine vegeta, studio pietatis et instaurationis usque ad

exitum vitae viguit, et cum supremum vitae diem adesse intelligeret, successorem, ut praemisimus, Regni Boleslaum natu majorem filium designavit.

DE GESTIS BOLESLAI II. REGIS POLONIAE.

Restricto et inhibito luctu ac maerore, qui ex immatura Casimiri Poloniae Regis morte in pectora Primorum Poloniae ascenderat, visum autem est Primoribus, et in eam sententiam Nobilitas vulgusque omnis consensit, ut primogenitus Regis Casimiri filius Boleslaus, tum quod major natu esset, tum quod supra aetatem prudentia et factivitate singulari, liberalitate immensa, caeterisque Regiis dotibus relucebat, tum quod a Patre designatus successor esset, in Regem promoveretur, Accedebant et maternae Reginae preces Dobrognievae, lachrymis et singultibus oneratae, quae unum quemque ex Consiliariis obtestans pro-

M. (x Igitur Kasimiro filius ejus Boleslaus succedit, cui largitatis cognomen anthonomastica privilegiatum est excellentia: Qui sine largitate nullam estimabat hominis liberalitatem, liberalitatem autem egere non posse nisi cum dandi non suppetat occasio, sic inquiebat
" largitas petitionibus et velocior et tardior?
: Velocior ne sit petitorum tarda praestolatrix:
: prius enim dari convenit quam peti, ne cu:
: juscunque petitione exprobretur nobis nostra
: tenacitas, ne beneficium gratiae sine gratia
: impendatur: nec enim gratis obtinuit quod
= quis precario impetravit. Tardior esse
: debet ne celerius avolet si ocius evanescat:
: quia ideo celeritas illi non convenit ut

" Quam

(x. Epistola XVII. mathei Ep. Cr:

"quam lentissimas etiam petitiones effugiat:
" imo nun illos occupat, nunc ab illis gaudet
= occupari,, Hinc cum dei quadam vectiga=
les jubet dispensari thesauros, dum praestantis=
sima quaque munificentissime dispergit.
Quidam nunc exilem suae tenuitatem fortunae;
nunc Regiae splendorem opulentiae conjectans
gemebundis infremuit suspiriis immurmu-
rat labellulis

Sole! beans alios sole mihi gratia Solis
alget hyems, geminos Sole tenente tenet
solus ego sub Sole tuo solatia veris
demerui: solum demeruisse pudet.

Rex proinde causa suspiriorum intellecta a=
mictum sinuosissimae chlamidis sibi detrahit:
quod illius humeris inferens " Tolle inquit tan=

" tum auri

" tum auri quantum libet, tuisque viribus
: metallum compensa! malumus enim te
: tuam invaletudinem causari, quam nostrae
: liberalitatis videri angustias" tunc ille
sinum vestis turgentissime insarcinans psal=
lebat.

Nemo stupet si stuppa perit levitate favillae
Semina non pereunt tua quae metit Iste vel Illa
Semine dapsilitas largo pluit aurea fama
Falx in messe sonat "plus das mihi plus metis ame"
Non locus hic loculis, non venter hydropycus arthae
Te premit; imo nitet tua copia cordis in arce
Omnia large Tuo favus imbuet ora sapore
Nec sine me laus tanta nostro morietur in ore.

Haec dum sui oblitus canit, dum aureum
pondus attollere conatur, pondere oppressus expirat.

M. Adeo perfunctoria Boleslao visa est opum gloria ut nihil in illis jucundium putaret pre ter dandi facultatem, quarum potissimam

" ait custodiam saccum pertusum: omnique = Principatu omnino indignum qui se sacci= = parium rerum esse malit quam Principem

Unde Russiae partibus imperiose peragratis & opibus illorum capi dedignatur, solo victoria triumpho contentus, donec avitarum limites borearum in valvis kiiowiensibus reformaret. Ubi (: cum sopita rebellione :) quendam substi= tuit Regem sue imperii suffraganeum, Qui (: ut coram suis appareret gloriosior :)

Supplicat

(x Haec referuntur ad paginam 152 sequentem. vel potius ad ultimam paginam 172.

Epistola XIX. Mathei E Cr=

supplicat; Boleslao regi „ ut Eum sua dignatione
„ occursurus amplectatur, accepturus auri talenta
„ secundum numerum passuum„ Indignatur
Boleslaus a se peti quod non competat Regiae cel=
situdini, absurdumque videri maiestatem ad
questum inclinari, absurdius esse gratiam venali=
tate censeri! Precibus tamen victus non pretio
spondet factum ire: exhibet venienti argumen=
tum gratiae. Quale putas? barbam Regis veni=
entis apprehendit quam divellicans crebro nimine con=
cutit „ Hic est, inquit, hoc tremendum caput
„ quod vos o Rutheni contremescere convenit„
Item itemque vehementius concutiens ait„
„ Hic vir, hic est quem nos nostro dignamur
„ honore„ Aspice quantum gratiae in Boleslai
aspectu auri gratia meruerit.

Ungariam hinc adire parat. (X --

vide infra pag. 150.

(X Conformiter seriei gestorum Boleslai II in Chronica Kagnimiri (: observata (ut opinor convenientius :) transfertur expeditio eiusdem regis (: inserta hoc loco in Ep: XIX acsi intra parenthesim :) in Hungariam contra Regem Salomonem, quam expeditionem praecessisse videtur invasiones Bohemorum ac Pomeronorum juxta ordinem in Chronica Kagnimiri

Epilogus etiam Epistolae XIX transfertur ad calcem Chronicae Kagnimiri.

relationem quam omnes suadebant, velut pernitiosam Reipublicae rescindi, et Boleslaum filium suum coronari obsecrabat.

Hac conclusione stabilita confirmataque Gnesnam Metropolim, (is enim locus pro ea tempestate, et pro veteri observantia, veneratione et autoritate hujusmodi pollebat), itum est, et in Ecclesia Gnesnensi praefatus Boleslaus Dux, et Regis Casimiri primogenitus, tres et viginti annos agens, a duobus Metropolitanis, Stephano Gnesnensi, et Aaron Cracoviensi Pontificibus, Wratislaviensi, Posnaniensi, Plocensi, Crusvicensi et Culmensi, Episcopis assistentibus, magno Baronum et Nobilitatis favore in Poloniae Regem ad altare majus coronatus et inunctus est.

Non solum autem Coronationis dies, sed et plures subsequentes in laeticia et lusibus absumpti sunt, et universi Praelati et Barones honore mensae, et magnificis epulis per dies illos tractati, in locumque magni maeroris spe optima singulos de provida administratione Regni mulcente laeticiae vicissitudo aeque successerat.

A. D. 1061. Annum Sextum in Ducatu Bohemiae Spitignevus agens, et severe ac crudeliter, et in fratres germanos, et in Ecclesiasticas secularesque personas saeviens 5. Calend. Febr. Pragae moritur, Bohemis excessum suum gaudio comprobantibus immenso. Qui cum orbus et sine haerede absumptus esset Wratislaus frater suus, qui in Ungaria exulabat, inde revocatus favore omnium Bohemorum Dux principalis constituitur. Is modestum se erga fratres et subditos gerens, duobus fratribus, Ottoni videlicet et Conrado Moraviam divisit, perpetua haereditate possidendam. Cognita autem Jaromirus frater residuus Spitignei morte, cujus metus illum in literis et studio continebat, deserto studio in Bohemiam remeavit, arbitrans se largitione fratris Wratislai aliquam portionem Dominii adinstar aliorum fratrum accepturum. Castigatum autem Dux Wratislaus, et salubri consilio admonitum, ne statu Clericali abiecto in militiam variis gravitatibus refertam abiret, inducit, partimque terret, et impellit invitum, quatenus ad sacra conscendens, in virum Ecclesiasticum se ordinari pateretur, Pragensem Episcopatum morte Severi Episcopi, quae

pro-

propter maturum senium ejus longe abesse non potest secuta, habiturus. Hac ille spe et pavore pellectus usque ad Diaconi gradum se consentit ordinari, sed mox animum paenitentia subeunte, nonnullorum Bohemorum proposito suo faventium, persuasione seductus, in Apostasiam versus, habitu et tonsura Clericali abiecta, laicum induxit, et militiam secularem de caetero in statu militari acturus repetiit. Veritus autem ne per Ducem Wratislaum aliqua in eum fieret ob desertam professionem animadversio, in Poloniam ad Boleslaum Poloniae Regem, plerisque Bohemis eum comitantibus aufugit, a quo benigne susceptus, et omnibus sumptibus, et necessariis abunde tractatus, adeo favore benevolentiaque Boleslai Poloniae Regis mulcebatur, ut integrum, in Polonia continuando mansionem suam, exigeret septemnium.

A. D. 1062. Fugam Jaromiri fratris sui in Poloniam Wratislaus Bohemiae Dux irato et molesto animo ferens, cum sugillationis et ignominiae plurimum, et suspicionis non parum. Verebatur enim Wratislaus Bohemiae Dux, ne Poloniae Regis Boleslai et Polonorum

suffragiis, Jaromirus frater suus stipatus, Bohemiam invasurus adveniret, et Bohemorum gentem ad defectionem inclinaret; Et cum a Jaromiro paenas clandestini discessus exigere non poterat, omnes iras, quas pro fuga hujusmodi conceperat, in Regem Poloniae Boleslaum, et Polonos qui Jaromirum jure et honore hospicii susceperant, vertit. Quapropter cum omnibus gentium suarum agminibus ulturus, fugitivi fratris receptionem Poloniam invadens, eam flammis et spoliis affligere cepit, nulla hostilitatis denunciatione praemissa, a siluis quoque Herciniis, quae Poloniam a Bohemis disterminant, incipiens oram omnem quæ, nunc Silesia appellatur, vastabat.

Hoc ubi Boleslaus Polonorum Rex a suis notificatum intellexit, correptis armis tumultaria potius, quam ordinaria acie, majori qua poterat celeritate Wratislao obviam processit, flammantis patriae ignes sanguinis profluvio exstincturus. In quadam autem silua, Wratislaum et Bohemos in ulteriora Polonorum Dominia transitum facientes consequutus, stativa facit, militesque corpora curare jubet, diluculo adveniente resumpto post continuam fatigationem vigore cum hoste certamen initurus:

1. Accidit interim instructissimas Austrensium et Bohemorum acies in campestribus Polonie metari castra, quos Rex impiger a tergo percipiens, omnem ~~sede~~ undi ademit facultatem. Cumque incautos occupare potuerit „ absit, ait, ut nostre „ titulus victorie quodam insidiarum „ latrocinio fuscescat,„ Se se presto nuntiat, non improvidos esse jubet crastino secum eminus conflicturos.

At ille Bohemicus leo(x) mox a leonis ferocitate desistens vulpina induitur astutia: „ indignum est inquit ut tanti

Regis

(x) Bohemicus leo Vratislaus dux

: Regis ad tam exiguos inclinetur dignitatio,
: quin potius in suorum tranquillitate castro=
: rum crastinum a Bohemis praestolari non
: dedignetur obsequium,, noctis ergo clypeo
protecti fugam ineunt pro praelio.
Quos trans Moraviae fines insectatus Aperdente
fulmineo consequitur, non aetati parcens non ge-
neri non conditioni, omnes autem morti mancipit
vel vinculis.

Rursus Pomeranorum abigeis - - - -

Interim per peditem militem, cujus multitudine abundabat, siluam jubet in girum arborum detruncatione, ne hostis inclusus evadat, circumsepiri, qua arte sedendo debellare hostes posse credebat.

Bohemus interim dolo usurus, cum moram sibi periculosam videret, et inde abire et fallere Regem vellet, missis sub occasum solis caduceatoribus, petit in crastinum colloquendi facultatem, multisque sermonibus, se magis amicum repromittit fore futurum, quam hostem. Boleslaus autem Rex Poloniae colloquendi potestate, ut erat rogatus, negata, se in crastino cum eo conventurum, et non verbis, sed armis pro accepta injuria respondet certaturum.

Quibus cognitis Wratislaus Dux Bohemiae, pluribus ignibus in speciem remanentium latius extructis silvam secundis vigiliis, hostem frustratus, tam silenti et composito agmine egreditur, ut etiam Polonos, qui silvam obsederunt falleret. Omnibus autem impedimentis, et sarcinis magis vilibus abiectis, concito cursu festinus Bohemiam aufugit.

9*

Rex illucescente altera die abiisse hostem, et pugnam detractasse, cum sensisset delusum se, et praedam insignem ex cassibus suis excussam esse dolens, et fortunam suam increpans, fugientes Bohemos pluribus diebus prosequutus est, pluresque ex eis praesertim qui aut languore aliquo correpti, aut necessitate distracti, agmen distulerant, comprehendit. In hostilem quoque terram Moraviam Bohemis qui Jaromirum comitabantur, ductum praebentibus perveniens, magnam ejus partém igne conflagravit, et captivorum magnum numerum, spoliaque plurima in Poloniam reduxit.

A. D. 1063. Exulceratum, et justa ira gravidatum Boleslaus Poloniae Rex animum contra Wratislaum Bohemiae Ducem, ob injuriam superiori anno acceptam gestans, frequentes copias parare, et in Bohemiam expeditionem militibus incedere cepit, querens se graviter offensum, quod pro humanitate Duci profugo, et pene exiliato Jaromiro praestita, hostilitatem et Regni sui vastationem a germano eiecti Ducis pertulerit, a quo se gratiam sperabat relaturum.

Wratislaus autem Dux Bohemiae ut erat vir in singulis providus et oculatus, bellum contra se et rumore et pluribus avisamentis intelligens agitari, per amicos communes, cepit agere de reconciliatione et de pace, neque enim tutum putabat cum vicino Regno hostile gerere bellum, neque suis satis fidebat, ne eo deserto pro eo Conradum, vel Ottonem surrogarent, vel ad Jaromirem deficerent. Variis itaque tractatibus interpositis, pax aegre Jaromiro et suis infectionem causante, aequis conditionibus per quas damna illata compensabantur, et captivi relaxabantur, comparata est.

Quae ut solidior atque diuturnior consisteret, violationem enim illius Ducis Jaromir in Poloniae Regno prasentia, portendebat, affinitate firmata est. Absumpta enim erat superiori anno Duci Bohemiae Wratislao jam altera uxor Adleides Regis Andreae Ungariae filia, duos filios, Bretislaum et Wratislaum, totidemqne filias, Ludimillam et Juditam ex Wratislao susceptas, relinquens. Agentibus itaque et procurantibus, pacis compositoribus, orant Boleslaum Poloniae Regem, ut virgo insignis Swianto-

chna Casimiri filia, et Boleslai soror Regum Poloniae Duci Wratislao Bohemiae detur in consortem. Nuptiae quoque Cracoviae magnificentia magna, et solennitate celebratae sunt. Tunc insuper Dux Bohemiae Wratislaus personali noticia et amicitia cum Boleslao Poloniae Rege contracta, dotalibus muneribus, liberalitate Boleslai Regis plusquam conventum erat praestitis, cum nova sponsa sua quam vernacula lingua Bohemi Svatavam vocant, in Bohemiam alacer rediit.

A. D. 1064. Bohemicam pacem Prutenicum bellum mox excepit. Barbari enim rebellare, et tributa hactenus pensa denegare non contenti, excursiones crebras in Regiones Polonorum faciebant. Fabricato autem Castro, quod a Polonis Grodek vocabatur, validoque ei praesidio imposito, ad inferenda Poloniae damna ac spolia, latius liberiusque vagabantur. Ea injuria Boleslaus Poloniae Rex, ut par erat, commotus, Grodek obsidione vallavit, expugnationi autem illius longo tempore insistens, cum et natura et arte locus satis munitus esset, Pruteni quoque egregie illum tutarent,

Rursus Pomeranorum abigeis confinio Poloniæ pene prædam ac manubias agentibus præceps advolat Boleslaus: prædones spatiosi fluminis interjectu iam securos conspicatur, et rapidissimo inhesitanter insiliens torrenti inquit " amor catulorum feras venabulis impingit"

Exclamant singuli Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui! multi ergo armorum pressi mole fluctibus involvuntur, et pauci cum Rege vix enatant, et licet inermes de armata hostium multitudine triumphant.

M. Proxime autem regnavit frater minor Boleslai Uladislaus Kasimirides (x

---

(x Kagnimiri Chronicon Polonorum continens gesta quatuor Regum terminatur pacificatione Russiæ. pag: 174.

coeptam expugnationem irritam, reliquit. Creverunt illico Barbaris animi et Rege Boleslao abscedente magnam Pomeraniae partem deditam sibi, et tributariam effecerunt; Ad ulteriora quoque quoties Regem in longiores oras Regni sui abiisse didicerant, gradum promovebant, omnemque fere Pomeraniam in jus suum et proprietatem pertraxerant.

Affligebat itaque magna audacia, magnoque spiritu Regem Pomerania adempta, et ignominia apud Grodek accepta, quapropter quo ordine, quave ratione Prutenos, qui pugnae copiam non faciebant, clandestinis et furtivis excursionibus contenti, in praelium eliceret, agitabat. Itaque cum expeditis militibus Pomeraniam ingressus Prutenorum adventum nil minus, quam Regis tunc ingressum suspicantium operiebatur. Nec enim opinio fefellit. Exploratorum enim denuntiatione certificatur barbaros in frequentibus copiis convenisse, et stativa ultra fluvium Ossam tunc aquis inflatum posuisse, altera die vadato fluvio in Poloniae confinia ad inferendam vastitatem et spolia transituros. Rex morae impatiens, veritus ne hostes ejus adventu cognito, in consueta

nemorum et stagnorum cubilia refugerent, copias illico suas ad hostem ducit: cumque amnis profunditas ardorem militum moraretur, primos ordines, ut erant armati, aquas obstantes Rex tranare, et caeteris metum adimere jubet. Unde cum plures pondere armorum ab aquis coram suffocarentur, caeteri mortem vitaturi armis in ripa relictis, fluvio superato, silenti agmine ad hostem Rege unumquemque exhortante perveniunt, parvoque negotio hostes superatos et inermes, tam magna strage fudunt trucidantque, ut pauci, qui intra tumultum fuga evaserant.... et occupata Pomerania excederent, et solita tributa Regi penderent.

A. D. 1065. Sextum jam Bela Dux Vngariae cum uxore et filiis in Polonia apud affinem suum Boleslaum Poloniae Regem agebat annum, dum illum ardor redeundi in Ungariam pervasit, neque ad id solum naturali ferebatur affectu, sed Baronum et Nobilium Ungariae dietim ad eum in Poloniam confluentium movebatur rogatu, nonnullorum vero clandestinis legationibus solicitabatur. Multis autem et variis difficultatibus periculisque reversionem suam septam

animadvertens, cum et germanus suus Andreas Rex universum Regnum in ditione sua possideret, et in Ungaris fluxam fidem habentibus, parum spei reponendum existimaret. Terrebat insuper eum tam Imperatoris Henrici Quarti, quam Wratislai Bohemiae Ducis affinitas, cum alerius filiam filio Salomoni desponsasset, alteri suam dedisset, intellegens tam socerum, quam generum Andreae Regi, quod et eventus rei postea monstravit, auxilia laturos.

His cogitationibus distentus Boleslaum Poloniae Regem aggreditur, orat, precatur, sollicitat, et per communionem sanguinis ostendens tres filios ex Matertera sua susceptos, obsecrat, ut pro officio fidelis amici et affinis sui morem gerat, copiisque et gentibus suis, paternam haereditatem, patrium Ungariae Regnum restituat; ne eum cum filiis in exilio consenescere contingat. Rex autem etsi rem arduam a se exigi per Belam suum affinem videret, maximo tamen animo et liberalitate, quorum utroque naturali praeeminentia pollebat, motus, se illi omni sua militia spondet auxiliaturum; praesertim cum Bohemis pacificatis et Prutenis compres-

sis, feriatum animum illum habere videret. Itaque in expeditionem Ungariam iturus, ex omnibus Regni sui terris delectum agit, et tribus agminibus, quibus Wszeborius Princeps militiae praerat, Belam Ducem restituendo, Ungariam ingreditur, uxore sua et tribus filiis in Polonia relictis.

Rex autem Andreas Ungariae, bellum a Poloniae Rege sibi tam ex rumore quam ex Ungarorum avisamento sciens inferendum, filium suum Salomonem ad Henricum quartum Imperatorem, notabili stipatum Ungarorum caterva, per Niechbaldum Comitem transmittit; rogans, ut si illi adversa fortuna accideret, curam ejus, velut generis sui agat, sibique subsidia in gentibus destinet. Iisdemque precibus apud Wratislaum Bohemiae Ducem usus tam Almanorum, quam Bohemorum duos insignes exercitus ab Jmperatore Henrico et Wratislao Bohemiae Duce transmissos accepit, tertium ipse, his duobus immensiorem, ex Ungaris conficit. Et Almanis quidem duo Duces, videlicet Vilhelmus et Pontianus praeerant, Bohemos Dux Conradus Moraviae germanus Wratislai Ducis Bohemiae regebat.

Tot et tantis subsidiis Rex Ungariae Andreas stipatus, magis de victoriae praemiis, quam de pugna cogitabat. In altera parte rarior erat numerus militum, ex Polonis duntaxat in agmine triplici agregatis, spem tamen victoriae augebat exercitatio, nam et in ordines ire, et pedem, quoties necessitas exposceret referre stare et ire, ad jussum Regis dudum asueverant. Ungarorum, qui partes Belae sequebantur, haud contemnenda erat multitudo, et ex his Boleslaus Poloniae Rex quartum agmen constituerat. Nam etsi singulis ordinibus praefecti ordinati essent, summae tamen belli Boleslaus Rex (tanta indoles viro jam tunc inerat) praesidebat, suo quoque arbitrio cuncta gerebantur.

Ad fluvium itaque Cyssa uterque exercitus convenit, et quamvis exercitus Andreae avidior, in quo et ispe Dux et cohortator aderat tam numero, quam robore multis partibus exercitum Boleslai Poloniae Regis et Belae Ducis excederet, nil tamen uterque ejus multitudine territus ad capessandam pugnam agmina deducit.

Magnis verbis, et animis majoribus ab utrisque praelium caeptum, et horis

aliquot tam acriter pugnatum est, ut in ambiguo esset, cui populo funestus Mars victoriam decerneret; utrisque autem magna vi pro triumpho adnitentibus deteriori loco pars Andreae Regis esse cepit, nam et magna pars Almanorum et Bohemorum, aut jam prostrata, aut obtrita erat, ordinesque eorum principalioribus cadentibus defluxerant. Poterat adhuc pugna restitui, sed Ungari qui in exercitu Andreae Regis erant, inclinatam suam videntes aciem, veriti ne sequuta victoria Bela in eos quicquam gravius consuleret, relictis ordinibus, desertoque Andrea Rege et auxiliariis suis ad Belam diffugiunt.

Exhinc facile Belae plena cessit victoria, multique mortales ex Almanis et Bohemis occisi, Rex Andreas ne vivus in manus fratris Belae veniret, fugere in Almaniam contendens, in fuga ad portas Meson captus, et in silva Bokovi crudelius quam suae aetati conveniebat tractatus, exspiravit, in Monasterio S. Auiani, quod ipse extruxerat, sepultus. Cum annis paulo amplius, quam 15. regnasset.

Almaniae et Bohemiae Ducibus, cum nonnullis militibus captis, Boleslao Po-

loniae Rege moderante victoriam, et honos servatus, plena libertas donata, quamvis Bohemiae Dux Ungarorum decreto, tetrae et miserabili paenae; privationi videlicet oculorum fuisset destinatus. Ex loco certaminis Boleslaus Poloniae Rex Belam Ducem Albam Regalem Ungariae coronari ordinavit, rebusque Ungariae feliciter compositis pluribus donis, tam ipse, quam exercitus suus a Rege Bela honoratus Poloniam rediit.

A. D. 1066. Pannonica victoria et Andrea Rege Ungariae et Almanis atque Bohemis subsidia sibi tunc ferentibus relata, Polonicus exercitus plurimum ditatus, Rex quoque Boleslaus Poloniae apud vicinas nationes glorificatus est, adeo ut Provinciis esset probitas sua in admirationem et terrorem. Casus autem adversus eo anno secutus non mediocrem illi intulit molestiam, et prosperos successus maeroris caligines obduxit: germanus enim suus Dux Miecislaus quem tenerrimo diligebat amore in lectum aegritudinis decidens, vita excessit, nullo sui seminis (celibem enim egerat vitam) superstite relicto, de cujus morte Boleslaus Rex multi doloris ostendens indicia, ultra quam Viro et

Regi conveniebat illum visus est luxisse.

A. D. 1067. Crebris consiliisque Ecclesiasticorum et secularium Boleslaus secundus Poloniae Rex superiori tempore et persuasionibus, quatenus aliquam illustrem Virginem suo connubio sociari pateretur, solicitatus, tum quoque non solicitari solum sed urgeri coepit, ut legitimo toro iniciaretur, ne stirps Regia ad duos tantum redacta absumeretur. Excessus quoque alterius fratris Ducis Miecislai anno transacto sequutus, et residui Ducis Wladislai in eam diem caelebs vita, adhaec et quietum tempus, in quo singula in circuitu bella opressa erant, allegabantur. Rex Boleslaus etsi nondum in eam se aetatem pertigisse, quae taedas conjugales magnopere expeteret, satis quoque temporis ad onerandum se conjugali jugo restare, vereri insuper ne amor futurae sponsae illum acrem, et ad bella gerenda, inferenda, et repellenda ferocem animum efficeret languidum et remissum, respondet, ad extremum tamen consiliis suorum caedens, consensit se matrimonium accepturum.

Inquirentibus deinde consiliariis, quae faemina tanto Rege digna esset, Principis Russiae filia, et Patris sui unica, cui magna pars Russiae ex successione paterna debebatur, in considerationem accessit. Hanc Boleslaus Rex caeteris, quae tunc per Consiliarios vicinorum Regum et Principum nominabantur filiabus, reiectis, se ducturum consensit, quod et pulchritudine, dotibusque animi et corporis praestabat caeteris, et quod Russiam justius subigeret, de qua invadenda subiiciendaque dudum animum, ut et virtutes avitas aequare posset, intenderat. Missis itaque solennibus Procis, praefatam virginem Wiszeslawam in uxorem accipit. nuptias quoque Cracoviae, pro more Regio sponsa advecta, celebrat, et per dies plures ludis militaribus, et hastariis instauratis solennitatem peragit nuptiarum.

Conradus et Otto Duces Bohemiae, quibus Moravia Wratislao Duce principali Bohemiae, et majore natu concedente cesserat, mittunt in Poloniam ad germanum suum Ducem Jaromir, laici potius quam sacerdotis in eam diem, in gestu habitu et moribus personam

praeseferentis, quatenus relicta Polonia ad eos Moraviam redeat, consilio et auxilio eorum sedem Episcopalem Pragensem adepturus. Qui etsi omnium rerum largitione et abundantia a Rege Poloniae Boleslao procuratus et magno in honore et charitate habitus, et perpetuus Poloniae civis fore in animo destinasset, cupiditate tamen honoris Pontificalis incensus, Rege Poloniae Boleslao adito, et causa recessus patefacta, ut se aquo animo redire Bohemiam pateretur, facile impetravit. Non solum enim Rex licentiam abeundi dedit, sed pecunias, equos, vestes, caeteramque suppellectilem, quo insigniter, ut non exulis in morem ad suos rediret, munifice praestitit.

A. D. 1069. Universis Polonorum Proceribus, et Primoribus Regni de suorum Principum orbitate, sterilitateque sollicitis, Wiesława Regina Poloniae Boleslai Ragis conjunx uterum nunciatur implevisse. Qua novitate et Rex et Proceres exhilarati, non sine animorum inter spem et metum colluctatione futuri partus eventum ambigui operiebantur. Regina interim variis votis, quatenus et virilem faetum et incolumem illi edere

con-

contingeret, propitiationem Divinam præveniens, conceptu materno filium Cracoviae 12. Aprilis effudit. Qui in Ecclesia Cracoviensi a Zula seu Lamperto Cracoviensi Episcopo aqua baptismatis ablutus Miecislaus avitum nomen, Patre Rege Boleslao id ei nomen et in avitam et in fraternam, qui nuper excesserat memoriam adoptante, accepit: plures dies in ludis et spectaculis ab his qui invitati confluxerant, absumpti sunt. Rex quoque Boleslaus novae prolis dono exultans effusas et ipse in quoslibet invitatos donorum suorum fecit distributiones: tam perfunctoriam opum Regiarum, quae dietim congerebantur ratus gloriam, ut præter dandi facultatem, nihil illi jocunditatis aut dulcedinis inesse assereret.

Excepit sub eodem tempore Regem Boleslaum molestus casus, affinis enim suus Rex Ungariae Bela, dum ex omni parte pacificato Regno securus et felix consisteret, et Regnum Ungariae singulari prudentia et industria administraret, inopinato eventu, usque ad internecionem obrutus est. Cum siquidem inquodam villagio Regali Gimel appellato moraretur, aedes quas inhabitabat a ventorum turbine concussae

corruerunt, et Regem Belam ruina sua lethaliter oppresserunt. Qui etsi imminens mortis periculum se evasurum credens, ex Gimel ad rivulum Kinisna quaedam negotia Regia expediturus se duci in lectica ordinasset, illuc tamen perveniens fortius cepit languore premi, qui cum a medicis inhiberi non posset, Rex dolore continuo ingravescente extinctus est, corpus in locum qui dicitur Zukszad delatum, in Monasterio S. Salvatoris, quod ipse vivens fabricaverat, cum honore debito sepulchro traditum est.

A. D. 1070. Affinis sui Belae Ungariae Regis, Boleslaus Rex meroris aculeis ex obitu Regis causatis necdum hebetatis, animum tamen ad bellum Russiae Principibus inferendum, et ad recuperandam universam Russiam armis quondam Boleslai primi Polonorum Regis proavi sui subactam, intendit. Primo quoque aestatis tempore omnes milites in armis esse, et in expeditionem Rutenicam copias ex universo Regno, tam equitum, quam peditum jubet convenire, sub specie quidem, quasi fratrem Zaslaum Ducem Kioviensem in Principatu restituturus, revera

vero Russiam sibi et Regno Poloniae subjecturus. Omnia vero quae ad futurum belli apparatum noverat necessaria, et per seipsum, et per Praefectos, praesertim vero per Wszeborium Principem militiae, maxima providebat cura, magnam pecuniae quantitatem inter milites equestris et pedestris ordinis, quo alacrioribus promptioribusque animis in expeditionem irent, partitus est. Aestuabat siquidem ferocis pectoris vir proavi sui Boleslai primi Polonorum Regis famam et gloriam, in eam usque diem crebris hominum sermonibus celebratam, aut transcendere, aut si minus proveniret aequare, et gades veteres per Proavum suum in fluminibus Zula et Dniepr, per columnas constitutas Regno suo adjicere, et innovare, Stomachabatur insuper omnes terrarum Russiae tractus, ad eum belli et materno jure devolutos Russiae Principes possessos, et contra jus fasque Patre suo Casimiro Rege, vel consentiente, vel dissimulante occupatos esse, de quorum restitutione crebro a Boleslao moniti respondebant se nullatenus illos reddituros.

Freqnentibus itaque copiis ex omni Regno ad Regem congregatis, advocata

militum multitudine prinsquam in hostilem agrum ducere pergeret; ita apud illos disseruit, „Ea inquit, majorum nostrorum erat virtus, ea probitas, is animus, ut quam plurimas vicinas Provincias Regno Poloniae fecerint tributarias et subjectas, fluminaque Sala et Ossa et Zula, fixis etiam gurgitibus eorum columnis, terminos Regni sui constituerent. Nunc ad quam angustam sedem ex collisione civili redacti sumus, videmus cum et ipsa Russia et gentium jure et belli, ditionis nostrae existens, cujus me materno et avito titulo amplior contigit portio, Imperium nostrum detractat. Ejus itaque rebellionem oppressurus, et arma ipse indui, et vos in armis esse jussi. Magno itaque praesens capessite bellum animo, non prius conjuges et liberos, ipsamque quam nunc linquimus patriam nostram communem, quam Russia subacta fuerit, visuri.„

Haec Regis oratio cum ingenti militum alacritate et assensu excepta esset, altero die triplici agmine Russiam, habens in comitatu suo Zaslaum Kioviensem Ducem et filios ejus, ingressus est, et pluribus quidem diebus, ordinatis aciebus, procedebat gradum promovendo,

et cohibendo milites a populatione illos in castris continuit, existimans Russiae Principes, justa acie secum congressuros. Præerat autem summae rerum in Polonorum exercitu Wszeborius Comes, dudum a Boleslao Poloniae Rege Princeps militum constitutus, in quem Rex Boleslaus velut militaris disciplinae peritum, magnam partem curarum cogitationumque suarum verteret.

Congesserat autem Wisseslaus Polocensis Dux, et qui Zaslaum ex Kiow depulerat, haud contemnendum exercitum ex Rutenis Pieczyniegis, et Warachis cum Boleslao Polonorum Rege decertaturus, verum dum Boleslao Regi prohibiturus suum ad Russiae interiora ingressum circa Bialogrod occurisset, visa Boleslai Polonorum Regis potentia, concidit cor ejus, et non ausus confligere cum Boleslao et Polonorum exercitu, videbat enim se multo viribus inferiorem, ignorantibus suis deserto exercitu, paucis consciis, et se sequentibus diffugit in Polocko, sed et exercitus suus fuga Ducis consternatus, et perculsus in varia loca abiit. Ab exploratoribus autem Boleslaus Polonorum Rex certior factus Rutenos, et caeteros hostes ad

tuendas munitiones dilapsos esse, gradum ulterius promovebat.

Interim miserunt Rutenorum Primores Kiiovienses, ad Suantoslaum et Wszevolodum Duces in Czerniechów, legatos dicentes. „ Etsi inique egerimus pellendo Ducem nostrum Zaslaum ex Kiovia: Vos tamem venite, et defendite Castrum Kiow a Polonis et Rege eorum Boleslao, quoniam exercitus suus multus est, et fortis nimis, cui nos resistere nequimus, quod si facere contemnitis, Castrum Kiow a Polonis et Rege eorum Boleslao, occupatum, antequam in Polonorum ditionem concedat, igne comburemus, soli vero cum fortunis pignoribus et familiis nostris trans mare in Graeciam migrabimus jugulum irato hosti subducturi.

Accipiunt autem Kiovienses a Ducibus Svatoslao et Wszevolodo responsum benignum, nuncios se ad Zaslaum Ducem missuros rogaturosque, ut se, et Polonicum exercitum ab hostilitate contineat, pacificusque ad illos sua omnia rehabiturus introeat. Quod si nolit, spondent se cum potentiis suis illi occursuros, prohibiturosque, ne princi-

palis arx eorum Kioviensis et populus occupetur a Polonis et eorum Rege. Quibus verbis Kiovienses confirmati, vuluntate comburendi castri omissa subsistunt. Nuncii vero ad Zaslaum Ducem extemplo expediuntur, qui cum illum a Kiow haud longe accessissent, verba apud illum et Boleslaum Poloniae Regem in hunc modum Ducum Svantoslai, et Wszevolodi nominibus faciunt. „In cassum inquiunt, tam fortissimum exercitum, in tam remota terrarum spatia produxisti, frustra durissimos impendis conatus, cum videas Wisseslaum Polocensem Ducem hostem tuum, et omnes adversarios contabuisse. Omissis itaque Polonis quietam sedem tuam Kioviensem, non est enim qui adversaretur tibi, recipe et Polonorum gentem duram a nostra Russiae terrarum vexatione averte. Quod si te aliquis furor ad ulciscendum acceptam a Kioviensibus injuriam exagitat, ipsemet potius ultionem et in Kiovienses et in arcem, sine ferro, sine igne liber, dummodo Poloni in nos et gentem nostram non debachentur, exerce.„

Qua legatione accepta Boleslaus Poloniae Rex cum Zaslao Duce et expe-

ditioribus militibus, parte copiarum cum impedimentis relicta, se tamen sub sequi jussa versus Kiow celeriori gradu procedunt. Dolum autem et fraudem in verbis Legatorum veriti, Mscislaus filius Zaslai in Kiow cum nonnullis Polonis et Russiae militibus praemittitur, an quietiores apud Kiovienses essent, et an insidiis et fraudibus Kiovienses uti possent, exploraturus, atque provisurus. Qui illuc pertingens, seditionis autores et capita numero 70. partim excoecat, partim trucidat, et saevam ultionem, delendo etiam eos qui habebantur insontes, exercet. Renunciante autem Mścislao omnia secura et quieta apud Kiovienses esse Boleslaus Rex cum Zaslao Duce advenit, et a Kioviensibus obviam illi ad septimum lapidem primum occursum, deinde amplissimis muneribus exceptus est. Secunda autem die Maii, Boleslaus Rex Kioviam ingressus, omne aetatis, autumni, et hyemis tempus illuc cum exercitu suo deduxit. Hibernabant autem Polonorum milites in Oppidis et villis Zaslao Duce singulis tam vestimenta, quam victualia providente.

Ivit autem Zaslaus Kioviensis Dux cum Polonorum ac Rutenorum militibus,

Boleslao Polonorum Rege in Kiow remanente, contra Wisseslaum Ducem in Polocko, qui potentiam suam et Polonorum veritus, diffugit. Zaslaus vero Arce Polocensi et Regione in suam ditionem redacta, locat illic filium suum Mscislaum, qui dum infra dies paucos absumptus esset, alterum filium Snantopelkonem in locum ejus substituens, Kioviam regreditur.

A. D. 1071. Hibernali tempore in Kiovia exacto, Boleslaus Poloniae Rex mature ex hibernis festinavit egredi, cum jam tempus appelleret, quo res geri possent, maximis autem et amplissimis muneribus, tam ipse, quam milites sui a Zaslao honorati versus Premysliam procedit et quasdam munitiones, et oppida circa San fluvium consistentia, partim voluntaria deditione, partim metu aut vi recepit. Certior deinde factus Premysliam Oppidum multorum Rutenorum receptatulum esse, qui illic res et fortunas suas ex munitionibus, et rusticis aedibus, velut in locum tutiorem, et praesidio valido munitum contulerant, omnibus id aggredi copiis constituit.

Erat eo tempore Urbs valida, et multitudine civium advenarum, qui in ipsam confugerant, et omni bellico apparatu instructa, fossis quoque profundis et aggeribus in altum porrectis, amne quoque San, qui Urbem a parte septentrionali praeterfluit, munita. Admovere copias ad Urbem Boleslao Regi paranti, amnis ipse San imbribus plus solito auctus intumescens, aliquanto tempore obstitit; quo tandem decrescente omnes copias per fluvium Rutenis ne quicquam ripas defendentibus traduxit, castraque non plus mille passibus ab Urbe posuit, inde per occasionem nunc hac parte, nunc altera milites in hostium agros mittebat, praecipiens, ut quam longissime a castris procederent, inopinatosque hostes opprimerent. Qua re hostes undique territi, in silvas paludesque et in invia loca diffugebant, plerique nec jam egredi extra munimenta Castellorum, et munitionum ad lacessenda alia castra audebant, pecoris praeterea, et frumenti, aliorumque commeatuum magna vis excepta, et intra castra Regia deducta, magnam omnium victualium abundantiam in Regio exercitu effecerant.

Levia deinde praelia sine ullo satis certo eventu per dies plures inter obsi-

dentes et obsessos commissa sunt, uno tamen die erumpentibus majore caterva ex urbe Rutenis, et usquè ad stativa Regia discurrentibus, prope justa pugna fuit, adeoque Ruteni paventes in urbem refugiebant, admodum devicti, ut in tergis eorum plerique Poloni haeserint, nonnullosque coeperint, aut armis exuerint.

Excursionibus hostilibus prohibitis castra Rex propius Urbem admovit, et Oppidum circumdari a tribus partibus, a quarta enim parte arce tutabatur, disposuit, deinde tribus diebus urbem sine intermissione oppugnat, in plerisque locis hostes ex stationibus per tela et sagittas summovit, et exturbavit, partemque urbis ad plana camporum spectantem defensoribus nudatam, in suam redegit potestatem. Quarta die Rutenis in arcem confugientibus urbe potitur, cujus omnis praeda militi concessa est.

Spatio deinde quietis militibus concesso, sub quo saucii ad maenia expugnatae urbis curari possent, arcem vallari, et corona cingi jubet; quam cum enixius Ruteni tuerentur, oppugnationem tamen illius qnamvis sibi difficilem cum et natura loci, et turribus frequentibus egregie munita fuerit, non remisit, uni-

versumque aestatis tempus in arcis praedictae obsidione absumpsit, ratus quod evenit Rutenos ad deditionem posse famis taedio compelli, magna siquidem multitudo Rutenorum cum conjugibus et pignoribus urbe deserta in arcem confugiens, intolerabili fame, aquae praesertim penuria dietim tabescens, cujus haustus moderatus aegre arcis defensores sustinebat, nullas enim arx in sublimi posita perennes tunt habebat aquas, triste suis spectaculum cadente in dies multitudine efficiebat. Hujus quoque pestis contagionem praesides arcis, et milites Rutenorum veriti ad se perventuram, crescente desperatione caduceatorem ad Regem Boleslaum mittunt, ut eis inde cum singulis equis et rebus abire liceret, paciscuntur, Boleslaoque Regi die, quo inter eos convenerat, arcem tradunt. Boleslaus autem Rex arce potitus, maenia, turres, caeteraque loca Praemisliae urbis sua impugnatione debilitata, aut diruta, ordinat fortius refici et instaurari, militibusque ad hibernandum in urbem deductis, ipse cum prioribus Procerum et Baronum in arcem se recepit.

Dux itaque Geisa Ungarorum desertum se ab Ungaris, et opprimendum a potentia Imperatoris animadvertens, communicato cum fratribus consilio cedendum imminenti tempestati, et meliori tempori se reservandum decrevit. Itaque duobus germanis Wladislao et Lamperto, et paucis quibusdam Ungaris, qui ullo pacto ab illius fide abstrahi poterant, assumptis, in Poloniam ad fratres suos Boleslaum Regem et Wladislaum Ducem Poloniae, tutum illic non dubitans sibi, et suis fore in rebus dubiis receptaculum divertit. A Duce autem Wladislao, et Genitrice eorum Dobrogniewa Regina benigne excepti et appellati, cum tunc Boleslaus Rex bello Rutenico occupatus esset, omnibus debitis vitae necessariis abunde tractabantur.

Dux autem Geisa aliquandiu Cracoviae moratus, dum persensisset Boleslaum Poloniae Regem non facile in Poloniam reversurum, ad eum se contulit, et ipsum in Praemislia hibernantem offendens, ut sibi et fratribus suis armis et potentia Imperatoris ex Ungaria pulsis, opem ferre non differat, precatur et orat. Cui Rex bonum animum habere

jusso, eum apud se aliquanto tempore favorabiliter honoratum et tractatum detinuit deliberans, an Rutenico bello insidendum esset, an eo dilato, Ungariae Ducibus auxilium ferendum.

A. D. 1072. Bellis duobus, Rutenico videlicet et Pannonico illato, et inferendo Boleslaum Poloniae Regem distenentibus, quid horum mallet, ad quodue se verteret, tacitus secum, deinde et in frequenti suorum consilio discurrebat? nam neque bellum Rutenicum, et Zaslai Ducis Kioviensis in sedem suam restitutionem secundis auspiciis hactenus inchoatum et gestum volebat omittere, neque fratribus suis Geisae, Wladislao et Lamperto, omnes spes suas in suo suffragio reponentibus, deesse. Et quamvis omnium Consiliariorum Poloniae sententia Rutenicum bellum prosequendum, et a Pannonico interim abstinendum, propriasque curas potius curandas, quam alienas censerent; Boleslaus tamen turpe ratus fratres suos Duces Ungariae in tam periculoso discrimine deserere, Rutenica expeditione omissa, valido praesidio arci et civitati Praemisliensi imposito, ad inferendum bellum Salomoni Ungariae Regi cum Ducibus

Ungariam hinc adire parat: Qui primos illi aditus obstruere contenderunt, corpora illorum plus impedimenti fuere ingressuris quam arma: nam cruentus ianitor ensis ianuas introitus et aperiendo clausit et claudendo aperuit: trunci enim obices cadaverum gladio prostrati etiam vias facere invias, ut non sine difficultate transmeandi patuit facultas.

Videns autem rex[1] Salomon[3] Ungarie[2] tam sibi quam suis plus imminere discriminis, praelium deprecatur, pacis offert conciliamina /: centum millia talentorum:/

Cui Boleslaus inquit „ Polonos

non delectat

„ non delectat habere aurum, sed imperare
: habentibus aurum! turpiusque esset
: pretio vinci quam prelio succumbere:
: nec Regibus convenire institoria taxa:
: re commercia, quibus armis opus est
: non opibus„

Victus itaque Salomon excessit tam bello quam Regno, cuius in locum Vla-dislaus alumnus polonicae (x munere Boleslai sufficitur.

accidit interea (xx)

(x Vladislaus alumnus Polonicae filius Belae regis Ungariae gener Miecislai II. regis Poloniae ut supra pag 93.

(xx vide supra pag 130.

Geisa, Wladislao et Lamperto et cum propriis militibus pronuntiat se iturum.

Delecta itaque expeditorum militum manu, novis quoque militibus in horum, quos in Praemisliensi praesidio reliquerat supplementum, ex Polonia accersitis, fratres suos Geisam, Wladislaum et Lampertum in Ungariam reducit, quaevis extrema pro illis tam cum Salomone, quam cum alio quolibet eorum hoste experturus. Neque deerant Ungarorum Proceres, quorum jam dominationis Salomonis pertesum erat, qui Salomone relicto ad Geisam Wladislaum et Lampertum transfugerant.

Salomon itaque externis Almanorum subsidiis destitutus, cum Ungarorum fidem huc illucque labentem probe nosset; veritus ne a Polonico agmine et fratribus interceptus necaretur, praesertim cum illos jam stativa prope Budam sentiret locasse, ex Buda fugiens in Castrum Muszur, arte et natura munitissimum se recepit. Diu Boleslaus Rex et Duces quid agendum esset, ventilabant, cum et conquisitio Castri, in quod se Salomon Rex condiderat, esset periculosa et difficilis, et agrorum agrestiumque nihil

reliquerat vastatio plusquam tristis. Interim Pontifices Ungariae, quibus bellum civile formidolosum et detestabile videbatur, ad castra Regis et Ducum pacem inter Salomonem Regem et Geisam Wladislaum et Lampertum Duces, aequis conditionibus compositari superveniunt. Quibus in consilium admissis, multis instantiis Geisam et fratres suos deprecantur, ne communem patriam, in qua majores eorum regnaverant, in qua quoque et ipsi essent regnaturi, mutuis collisionibus subiicerent vastitati et ruinae, occupandamque barbaris praeberent. Orant et Boleslaum Regem Poloniae, ut Duces fratres suos ad capessendas aequas pacis conditiones pelliceat.

Et cum a Rege et Ducibus responsum esset, pro pace communi nullas se conditiones honestas recusaturos, sed in Pontificum potestate futuros. (Rex enim Poloniae redire ad bellum Rutenorum magnopere satagens Ungaricum bellum autem sufferentiis suspendi, aut pace componi aestuabat.) Itum ex templo in Muszur est, et sub his conditionibus pax ex utraque parte conventa „ ut Salomon quamvis natu junior Regio funga-

tur

tur diademate titulo et honore; et duas partes Pannonici Regni in sua ditione habeat: Geisa Wladislaus et Lampertus, Ducalem honorem, et tertiam Regni partem possideant: Boleslaus Polonorum Rex; et suus exercitus de communi utrorumque aerario muneratus abscedat.„

In hunc modum pace composita, in qua componenda aetas integra exacta est, Boleslaus cum magna gloria, et utriusque partis favore, neque enim eo abnuente pax componi potuisset, in Præmisliam rediit, illicque hibernavit. Geisa Wladislaus et Lampertus, in Quinque Ecclesiis coram magna Ungarorum multitudine Salomoni imposuerunt diadema.

Levi ex causa inter Svantoslaum et Wszevoldum Duces Czernieioviensis ab una, et Zaslaum Ducem Kioviensis partibus ab altcra pro finibus terrarum, et spoliiis utriusque sequutis contentio exorta, etiam illos in arma excivit. Congregatis itaque exercitibus, Svantoslaus et Wszevoldus Czerniechovienses Duces, vadunt contra Zaslaum Kioviensem Ducem. Verum Zaslaus fluxam et fragilem suorum militum in se fidem perpendens, veritus ne vivus veniret in

manus hostiles, ex Kiow discedit. Swantoslaus vero et Wszeveldus Duces, 22. die Mensis Martii Kioviam ingressi Principatum occupant, et sedem Kioviensem, paterna prohibitione temerata, qui singulos filios constrinxerat, ne alter alterius usurparet Principatum. Zaslaus vero Kioviensis Dux cum uxore et filiis, et plerisque militibus in Poloniam ad Boleslaum Poloniae Regem aufugit, deferens secum aurum, vasaque concupiscibilia, et omnem nobilem ac preciosam suppellectilem, quae omnia aut Boleslao Polonorum Regi donavit, aut inter Polonorum milites distribuit: suppliciter se in sedem suam Kioviensem, per Boleslaum Polonorum Regem deposcens reponi.

A. D. 1073. Ex Pramislia valido illic praesidio, ut populares in fide continerentur relicto, Boleslaus Polonorum Rex agminibus suorum exercituum eductis, in ulteriores Russiae partes Zaslaum Ducem restituturus in sedem suam, ire pergit, et itinere, quo versus Kioviam processisse credebatur omisso, in terram Chelmensem, „(quae prius Wladimiriensis vocabatur, nunc utroque nomine abrogato, Lucensis appellatur)„ di-

vertit. Regio erat in eam diem dives et opulenta, frequentes habens vicos, et Oppida. pauca erant munita, facile suam expugnationem hosti praebentia. Pleraque itaque voluntate in deditionem venere, caetera in quibus praesidia Rutenorum erant, parvo negotio, expugnata. Castra regionis erant principalia tria, Wolyn, Wladimir et Chelm, singula tamen ex ligno et trabibus fabrefacta, et in collibus natura ipsa editioribus sita, haec magna Rutenorum militum manus tuebatur.

Primum itaque Boleslaus Polonorum Rex praedas agere, et nonnullos vicos, et rura incendi jubet: peragrata praedataque regione, cum plurimum pecoris et spolii agrestium esset congestum, deduci illud militibus per servos in Poloniam Rex permittit: ad Castrum deinde Wolhyn copias admovit, et illud omnibus viribus nocte et interdiu expugnare non destitit. Verum dum a Rutenis Castrum egregie defendentibus resisteretur, spes potiundi Castri recidebat saepius in irritum. Dum insuper plerique Polonorum milites obsidionem ipsam deserendam persuaderent, nullo pacto persuasioni acquievit, veritus Ca-

stro inexpugnato dimisso, animi Rutenorum ad faciendam ampliorem resistentiam erigerentur. Sex mensibus in obsidione pertinaciter perseverantes Rutenorum, qui Castrum tutabantur animi, partim metu, partim spe ex liberalitate, quam noverant Boleslao inesse, franguntur, missisque caduceatoribus, de Castro cedendo, apud Regem sermonem faciunt, conditionesque proponunt,, ut singuli cum omnibus, quae ditionis suae essent, discederent, qui remanere elegissent aequo jure cum Polonis in castris Regiis militarent. Rex insuper illis duo marcarum millia largiretur,, sub his conditionibus, dum pax convenisset, Castrum Wolhynense Regi deditum.

Boleslao autem Poloniae Rege in terra Wołynensi agente, Wszevdldus Dux decertare cupiens Rutenicas copias illuc adduxerat, sed Polonorum copiis ad liquidum lustratis manifestum periculum, si tentaret fortunam, incursurum se videns retrorsum abiit.

A. D. 1074. Primo aestatis tempore, agmina suorum exercituum Boleslao Poloniae Rege ex Wołyn, ad conquiren-

dum Castra duo residua, Wladimiriam et Chełm educere paranti, Principis Wladimiriae Gregorii; (cujus Castra ipsa pro ea tempestate erant) nuncii adveniunt, hi ad consilium Regis introducti, petunt „ ut ex terris eorum copias suas deducat, terrasque illas vastari, et Castra expugnari non admittat, Principem suum Gregorium in potestate Regis una cum caeteris Castris, et terris futurum, et deditionem facturum, imperanda quaeque expleturum asseverant „ Rex Boleslaus ut in ulteriora Russiae liberius celeriusque penetraret, oblatas pacis conditiones accepturum se, si obsides darentur, respondit.

Quo accepto, et induciis interim firmatis, ad Principem suum reversi responsum exponunt. Grave inprimis et indignum videbatur dare obsides, molestius tamen et gravius tecta, et vicos uri. Itaque Princeps ipse Gregorius et sui, personaliter ad Regem Boleslaum veniunt, deditioneque facta obsides tradunt. Boleslaus Gregorium non solum benigne appellatum, sed etiam liberaliter muneratum domum remittens, agmine citato ad caput et Metropolim totius Russiae Kiow ire pergit, non ali-

ter se, bellum Rutenicum, nisi Kiovia acquisita, ratus consumaturum.

Dux Wszevoldus tunc inter Rutenorum Principes potior et terrarum multitudine et militum frequentia habebatur. Is quoque tunc et terram, et Civitatem Kioviensem, caeterasque vicinas Provincias, sub sua ditione continebat. Qui ut ab exploratoribus, ipsorum more accepit, bellum sibi a Boleslao Polonorum Rege inferri, et in regionem suam belli sedem transferri, omnes ditionis suae homines jubet arma expedire, caeterorumque vicinorum Principum plurima contrahit conquiritque solatia. Multi insuper voluntarii Rutenorum Proceres et milites, qui ex Praemisliensi Wołynensi et Chełmensi terris, per Boleslaum aut expugnati, aut in fide recepti diffugerant, se sibi conjungentes, exercitum haud sane contemnendum effecerant. Quorum multitudine et continua acclamatione, ut extemplo ad hostem duceret, Dux Wszevoldus laetior factus, aciebus ordinatis ad castra Boleslai nonis stativis, cursu celerrimo profectus pervenit, altera quoque die suos ad pugnam educit.

Boleslaus Praefectis Tribunis et Centurionibus, et qui ducebant ordines, singulisque militibus convocatis „ decernendi, inquit, cum hoste, quod frequentibus votis optastis, nunc vobis oblata est facultas; virtutem, quam sermonibus jactabatis, nunc dextris monstrate! Hostis siquidem et numero et robore superior est, omnis spes in praesidio Caelesti et virtute reponenda, saepe enim hostis ipse a patribus nostris levi negotio victus fususque et subactus est, quem et hodierna die magno animo vos firmate fusurum, maxima praemia victoriae urbem opulentissimam Kiow, cum finium, quas patres nostri posuerant, pulcherrima recuperatione habituri„ Hac cohortatione monitos, in aciem eductos pugnam conseruit.

Magna vi ab utraque parte concursum est, ancipitique marte aliquandiu pugnatum: a dextra parte aegre Polonus resistebat, clamoresque dissoni, ad incertos suorum eventus fugere hostes proclamantium, a praesenti certamine avertebant animos, turbatisque ordinibus superiores Ruteni esse ceperunt, nisi Boleslaus novam cohortem laboranti alae et prope fugam prospicienti submisisset.

Itaque pugna restituta aequis viribus, et prope pari spe pugna gerebatur: tandem Boleslao Rege fortiorem hostium cuneum prorumpente fuga extemplo Rutenorum sequuta est, fusosque Rutenos et victos sequuti, magnum illorum numerum ad castra reduxerunt. Dux Wszevoldus fuga salvatus, multi tunc ex Rutenis cecidere. Sed ex Polonis prope mille desiderati: sauciis in quadrigas impositis et his, qui ceciderant, sepultis, in Poloniam spolia plurima Rutenica refereus, cum victore exercitu Boleslaus Polonorum Rex rediit incolumis.

A. D. 1075. Integra hyeme et veris parte Boleslaus Polonorum Rex in propriis penatibus consumpta, maiori quam antea, exercitu, ex equite pediteque comparato, in Russiam celeri itinere contendit, et ad Kioviam Metropolim Russiae accedens, ipsam obsidione vallavit: dum autem a Rutenis urbem tuentibus crebrae fierent in Regis castra excursiones, certaminibus levibus inter partes in majus crescentibus, saepe universus Regius exercitus, suis, qui a Rutenis interdum sagittis eminus emissis propellebantur, laturus auxilium, velut in justam aciem consurgebat.

Fame tandem civitas laborare cepit, rarescentibusque hostilibus excursionibus, castra propius urbem Rex admovit: doctus quoque a transfugis famem, et apud urbanos, et apud milites invaluisse, itinera omnia obsideri, ne quid ad obsessos importari posset, summa cura et ipse providit, et milites illi negotio praefectos partim minis, partim promissionibus, ut enixius quamlibet importationem prohiberent, oneravit, (ea enim vis animi ingeniique Regi Boleslao inerat, ut non grandia solum, sed etiam minima per se adiret, militibusque et praefectis munera belli et obsidionis demandando, pleraque ipse, priusquam a milite inchoarentur, perficeret; vigilias quoque per se adeundo et segnes corripiendo et mulctando, ne quid milites de solerti et continua diligentia adventum Regium semper suspectum habentes, remitterent, diligentes effecerat) camporum insuper urbem corona cingentium, vasta planicies, ita ut illam visiva virtus in Pelagi morem terminare non queat, ut quaelibet importatio interdiu poterat deprehendi, propositum Regis adjuvabat (Urbs praeterea Kioviensis, ea tempestate am-

plissima in plures largosque vicos porrecta, nullo satis murorum subnixa, facili captioni militibus, praesertim eam tutantibus continuis vigiliis, et diuturna obsidione fatigatis, subiacebat.) Universas Polonis vias stricta custodia observantibus, importationemque cujuslibet rei prohibentibus, fames horrida urbem invasit, multique mortales dietim fame cadebant tabefacti. Accessit et pestilentiae malum, vis quoque morbi et in militum et in locupletum corpora pervaserat: veriti, ne vivi in Boleslai et Polonorum venirent manus, legatos de urbe dedenda ad Regem Boleslaum mittunt. Rex Legatis rogantibus nihil aliud, quam ut se victis mansuetum victorem praestaret, et fame et peste afflictae civitati parceret, Legatis (more suo cervice bassas inclinationes rogationi adiicientibus) benigne correptis, quod tam faeda in defendenda urbe passi essent, quae nec irati victores pati victos coegissent, propitium se et favorabilem singulis futurum respondet. Quo ad urbem relato, non alterius diei adventu expectato, eodem die urbem Regi dedunt.

Quam Boleslaus cum multitudine armatorum militum ingressurus, gladio vibrato (conformem triumphum proavi sui Boleslai primi Polonorum Regis impleturus) in portam ferream impegit, geminandoque ictus foramen verberatae mucrone lamine in porta, et in victoriae et deditionis signum reliquit. A civibus magno honore exceptus modestissimum se, prout spoponderat omnibus victorem praebuit, et ne cujus aedes, corpus, vel fortunae, a quodam suorum militum violarentur, plectendos violatores capite decernens, effecerat. Qua una re Civium Kioviensium pectora adeo sibi devinxerat, ut amplissima munera, tam Regi, quam exercitui suffectura, sponte praesentarent; quae Rex paucis sibi retentis, omnia fere inter milites, eos praesertim quorum virtus aut in dimicando, aut in expugnando Oppidorum et Castrorum, aut in lacessendo hoste fuerat conspectior, distribuit.

Ea re memorabili confecta, Kioviaque in deditionem subacta, cum universa Russia pacata esset, vectigalia magna instituit, generisque materni propinquum Ducem Zaslaum summae rei praeficit,

et Kioviensis terrae illi attribuit gubernationem. Magna ex singulis Russiae regionibus dietim afferebatur pecunia, magnae cumulabantur opes, in quibus aggregansdis exigendisque residuum, quod restabat hyemis effluxit.

Epilogus gestorum Boleslai II Regis Poloniæ in Epistola XIX Matthæi.

Fuit autem Hic belligerandi tam studiosus ut rarus in aula, continuus in castris, raro in patria semper apud hostes deguit: quæ res Rei-publicæ quantum commodi attulit, tantum ingessit discriminis, tantæ fœdæ peperit insolentiæ!

Rege etenim perdiutissime nunc Ruthenicis nunc pene transpartanis & imorante regionibus, servi uxores ac filias dominorum ad sua vota inflectunt, quasdam fessas expectatione maritorum, alias despera-

tione

Et

tione deceptas, vi nonullas ad serviles amplexus protractas: occupant dominorum lares firmant municipia, dominos non solum arcent, sed etiam reversis bellum infligunt.

Quos vix expugnatos pro singulari temeritate singularibus domini perdidere supplicciis. Sed et feminae iussae sunt pendere poenas non immeritas: atrocissimum et unicum ausae facinus nulli prorsus flagitio conferendum.